



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. XIII. De Restitutione spoliatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

sibi prædicta annua pensio solvatur, partim, quia in priore iudicio petitorio non fuit actum super pensione, sed super iurisdictione, seu subiectione Monasterii, partim, quia, etsi actum fuisset, ex causa, seu titulo subiectionis, posset tamen actor denuo ex alio

titulo, seu causa obligationis petere eandem pensionem sibi esse debitam, ob rationem supra allatam à Gl. h. r. Hostiens. hic V. Si alio; Imol. ibid. in fine.

†

T I T V L V S XIII.
DE RESTITUTIONE
S P O L I A T O R V M.

Dostquam de causis possessoris in genere actum est, agitur hoc Titulo de causa restitutionis spoliatorum, quæ etiam possessoria est, quippe cum pertineat ad Interdictum recuperandæ possessionis. Agitur autem hic potissimum de Interdicto *Vnde vi*, quod est remedium recuperandæ possessionis competens ei, qui per aliquem possessione rei immobilis v.g. fundi, vel domus, per vim (sive publicam, & armatam, sive per privatam, quæ sine armis infertur) dejectus, & spoliatus fuit, l. 1. in princ. & §. 1. ff. De vi, & vi armat. Et quamvis olim differentia fuerit, an aliquis armis dejectus esset, an sine armis, ea tamen hodierno iure, quoad possessionis restitutionem, sublata est; ut colligitur ex §. Recuperandæ; Institut. de interd. ubi generatim dicitur, quod per interdictum *Vnde vi*, is, qui deiecit, cogitur ei, qui vi ex possessione fundi, vel ædium dejectus fuit, restituere possessionem. Menoch. recuper. possess. remed. 1. n. 7. Veruntamen quoad penam, non parva adhuc est differentia inter utramque vim, cum penæ diversæ decretæ sint iis, qui vim publicam, & atrocem, cum armis, & iis, qui vim privatam, sine armis, intulerunt; ut patet ex Titulis ff. & C. ad leg. Jul. de vi publ. & ad leg. Jul. de vi privat. Menoch. c. l. n. 8. Porro si cui res mobilis per vim erepta sit, ut equus, pecunia &c. non competit interdictum *Vnde vi*, sed actio vi bonorum raptorum, vel furti, vel ad exhibendum, cit. l. 1. §. Illud; ff. De vi, & vi arm. nisi res mobiles fuerint in fundo, vel ædibus, unde quis vi dejectus est, atque ita eas amiserit: tunc enim etiam earum nomine, non quidem principaliter, sed accessorie, & secundario interdictum *Vnde vi*, competit, cit. l. 1. in princ. junct. Gl. Vers. Ibi; & §. Illud, junct. Gl. V. Non pertinere; & V. Planè; Extat hic Titulus etiam in Sexto.

§. I.

Quibus competat Interdictum Vnde vi, seu recuperanda possessionis?

II. Generatim loquendo, interdictum *Vnde vi*, non conceditur, nisi illi, qui vi dejectus ac spoliatus fuit possessione rei immobilis, seu quæ soli

est; sive naturaliter, sive civiliter tantum rem possederit, l. 1. §. Deiecitur; ff. De vi, & vi arm. sive iuste, sive iniuste, Gl. ibid. V. Civiliter; nam & prædioni spoliato hoc interdictum succurrit, de quo infra, modo quis rem non alieno nomine, sed ut suam detinuerit, sive per se, sive per alium possederit, cit. l. 1. §. Quod servus; Nunc igitur in specie videndum, cui hoc interdictum competat?

III. Queritur primò. Utrum colonus, conductor, usu fructuario, emphyteuta, vasallo, & similibus competat interdictum *Vnde vi*? Respond. primò. Si colonus fundo, vel inquilinus, seu conductor domo ab altero vi occupatâ ejiciatur, non ipsis, sed domino interdictum *Vnde vi* competit, etiam si ignoret, ipsos ejectos esse, cit. l. 1. §. Denique; & §. Quod servus; quia ipsi rem tantum detinere, non autem propriè possidere dicuntur; cum is possideat, cujus nomine possideretur, c. Cum venisset; §. in fine h. r. c. Si diligenti; 17. de præscript. l. Quod mos; 17. ff. De acquir. poss. Menoch. remed. 1. recuper. poss. n. 62. & 63. nisi colonus prius intervenerat possessionem, & non amplius alteri, sed sibi incipiat possidere, ut in l. Colonus; 12. & l. Cum fundum; 18. ff. De vi, Gl. in cit. l. 1. §. Denique; V. Si colonus. Quod li ejecto domino, servi, aut famuli permittantur manere in fundo, vel domo, non datur hoc interdictum; quia dominus per alios adhuc possessionem retinet, qui dejecti non sunt, cit. l. 1. §. Non alii; sicut neque locus est huic interdicto, si omnes è collegio aut Monasterio per vim ejiciantur, præter unicum: nam in illo, & per illum possessio retinebitur; sicut enim jura universitatis in unico conservari possunt, ita, & possessio eorundem, l. Sicut; 7. §. ult. ff. Quod cujusq. univ. nom. & c. Laym. de restit. spoliat. thes. 17. Si verò merus inquilinus, aut conductor fundi, ad breve tempus, è domo, aut fundo à domino ejiciatur, extraordinario officio Judicis implorato restituitur, non autem per interdictum *Vnde vi*, cum possessio ipsi competere non censetur, Menoch. c. l. n. 64. Laym. thes. 14. in fine.

IV. Similiter colonus, seu conductor agrorum, vel vinearum, ad longum tempus, videlicet decennium, sicuti & emphyteuta, vasallus, usufructuarius, si spoliati fuerint, intentare possunt interdictum *Vnde vi*, ut de usufructuario, expresse habetur in l. 3. §. *Vnde vi*; ff. De vi. idemque dicendum de usufructuario, sive qui jus utendi habet, cit. l. 3. §. Item si; eoque, cui habitatio concessa est, Gl. in cit. §. *Vnde vi*; V. Fructuario; Menoch. cit. remed. 1. n. 68. 69. 75. & 90. Ratio

Ratio est, quia hi sunt in quasi possessione juris, ac domini utilis, seu usufructus, quod verè, & quasi civiliter, subque nomine possident, l. *Sciendum*; 15. §. 1. ff. *Qui satisd. cogunt*. nam alioquin ejusmodi jus utile per prescriptionem acquirere non possent, cum sine possessione civili usufructus perici non possit, Reg. jur. 3. in 6. l. *Sine*; 25. ff. *De usufructu*. Unde etiam locatio ad longum tempus, constitutio emphyteutis, concessio feudi, alienationes quaedam esse censentur, respectu domini utilis, c. *Nulli*; 5. *De reb. Eccles. non alienand.* ex quo manifestè colligitur, civilem possessionem ejusmodi juris utilis esse penes colonum, emphyteutam, vassallum &c, ideòque etiam super hoc jure utili, possessorio, ac petitorio Judicio, suo nomine, agere possunt, *Laym. cit. thes.* 14.

Porrò, si quis per alium v. g. colonum, procuratorem, aut servum fundum possideat, isque vi deiciatur, potest hoc casu colonus, vel quilibet amicus, aut propinquus, imò etiam servus, qui alioquin personam standi in Judicio non habet, loco domini absentis (qui possessionem quoque amisit, ideòque ei interdictum *Vnde vi*, competit, cit. l. 1. §. *Quod servus*; ff. *De vi*; l. *Peregrè*; 44. §. ult. ff. *De acquir. poss.*) etiam sine mandato, intentare Judicium possessorium *Vnde vi*, dummodo de rato caveat, sicut specialiter statutum est in l. 1. c. *Si per vim, vel alio modo* c. *Laym. c. l. th.* 15. An autem etiam prædconi competat interdictum *Vnde vi*, infra dicetur.

V. Quaritur secundò. An interdictum *Vnde vi*, sive recuperandæ possessionis competit, non solum illi, qui possessione absolutè spoliatus est, sed etiam, qui liberè possidere non potest? Resp. interdictum hoc competit, non solum ad restitutionem possessionis omnino ablata, sed etiam ad restitutionem liberæ possessionis; prout sumitur ex c. *Pisanis* 19. & ult. h. r. Nam, cum Pisanis Lucanis vi eripissent quædam castra, ex quibus Episcopus Lucanus pensiones, seu census annuos percipiebat, eaque Pisanis restituere nollent, ex mandato Papæ Gregorii IX. sunt excommunicati: & cum postea ab excommunicatione absolvi petenti, Papa mandavit Subdiacono suo, ut possessionem, quam in castris ad Ecclesiam Lucanam spectare constabat (per evidentiam facti, quia notorium erat, Episcopum in illis possessionem habuisse, *Gl. Hic*; *V. Gonstat*;) Pisanos plenè, ac liberè eidem restituere curaret, sicut habuerat tempore ortæ controversiæ inter Pisanos, & Lucanos: super ea vero possessione, de qua dubium esset, an ad Ecclesiam Lucanam pertinere, receptâ sufficiente cautione à Pisanis de parendo juri, postea censuram excommunicationis, quæ in eisdem, propter vi occupata castra, lata fuit, relaxaret. Sed Pisanis coram Subdiacono proposuerunt, quòd per Episcopum Lucanum stare, quò minus ipsi, juxta mandatum Papæ, restitutio fieret; & instanter petebant, ut censura relaxaretur; quare Subdiaconus eos absolvit, receptâ prius cautione de parendo justitiæ. Verùm Episcopus existimans, se per hoc gravatum esse, ad Papam appellavit, vel saltem per modum simplicis querelæ eum accessit. Papa respondit, se duo mandasse Subdiacono, videlicet, ut possessio, quam constabat Lucanam Ecclesiam, tempore ortæ discordiæ

habuisse, eidem prius restitueretur, & ut restitutio ejusdem possessionis plenè, & integrè fieret, sicut eam habuerat tempore motæ controversiæ: quorum primum ad factum, siue substantiam facti, alterum verò ad modum pertinet. Unde quamvis Subdiaconus mandatum Papæ adimplere non potuerit in facto (quia non constabat, possessionem castrorum ablatam esse Episcopo, & ipsèmet fatebatur, se à Pisanis pensionibus, ac censibus annuis non fuisse privatum) nihilominus tamen in modo mandati peccatum fuit; quia Papa mandaverat, ut possessio pensionum, & census, (quam per confessionem Pisanorum constabat Episcopum in castris illis habere) plenè, & integrè Ecclesiæ Lucanæ restitueretur, sicut Ecclesia illa tempore motæ discordiæ habebat. Id autem fieri non poterat, nisi Pisani castra, quæ Lucanis eripuerant, & ex quibus Episcopus pensiones, ac census annuos recipit, omnino dimitterent, eò quòd, si penes ipsos Pisanos possessiones castrorum remaneant, non possit Episcopus ita plenè, ac liberè, & securè pensiones, ac census suos ex illis recipere, sicut, si Lucanis restituerentur: erit enim in potestate Pisanorum Episcopum Lucanum ad recipiendos census, ac pensiones admittere, vel repellere, prout voluerint. His igitur consideratis, Papa processum Subdiaconi, de consilio Cardinalium, irritum declaravit.

VI. Pro explicatione hujus c. Notandum primò. Is qui restituitur, plenè, liberè, & integrè debet restitui, seu reponi in pristinum statum, in quo erat ante illatam violentiam: & si quis sit spoliatus possessione, non tantum ea debet restitui, sed etiam plena libertas possessionis: imò, licet quis non sit spoliatus possessione, si tamen sit spoliatus plenà libertate possidendi, ad eandem debet restitui, ut colligitur ex hoc c. *Tradit Imol. ibid. n. 1.*

Notandum secundò. Judex delegatus, si non observet formam mandati, ipso jure irritus est processus, & sententia ab ipso lata. *Gl. fin. hic*; adeòque, si duo sint mandata principaliter, unum sine altero adimpleri non sufficit, *Gl. hic Vers. Alterum*; Ut in proposito casu, Subdiacono duo mandata fuerunt: Primò, ut possessio, quam constaret ad Ecclesiam Lucanam pertinere, ei restitueretur; sed quia non constabat, possessionem aliquam, seu fundum, aut castrum Ecclesiæ illi ablatum esse; ideo non debuit, nec potuit talis restitutio fieri, quæ sub conditione tantum fuerat mandata, si constaret Ecclesiam spoliatam fuisse. Secundò, ut restitutio possessionis plenè, ac liberè fieret, quod pertinebat ad modum; & hoc impletum non fuit, quia Ecclesia Lucana non fuit restituta in pristinâ, plenam, ac liberam juris sui possessionem, quam habebat tempore motæ controversiæ; nam antea, dum castra illa erant penes Lucanos, poterat Episcopus liberè, ac securè ex illis recipere pensiones, ac census annuos; quia illi erant diocæsani, ac subditi ipsius in spiritualibus; postquam verò illa devenerunt in potestatem Pisanorum, qui erant potentes, & alieni ab Episcopo, multò difficilior reddita est consecutio illarum pensionum, ac census: quare, cum Subdiacono mandatum fuerit à Papa, ut censuram excommunicationis latam in Pisanos relaxaret, si restitutio possessionis plenè, & liberè

liberè facta fuerit, non debuisset eos absolvere, nisi priùs castra restituerent Lucanis, à quibus Episcopus plenè, ac liberè pensiones recipere potuisset, sicut priùs, *Abb. in c. ult. n. 13. h. t.* Ex quo patet, si mandatum datum sub certâ forma, seu modo, duo contineat, & non possit utrumque simul adimpleri, debere fieri, quod potest, & si non potest adimpleri quoad substantiam facti, debere servari quoad modum, *Abb. hic n. 5. & 6.*

VII. Notandum tertio. Si Ecclesia percipiat annuos census, seu pensiones ex castro pertinente v. g. ad Titium, & vir potens, ac ferox illud violenter occupet, poterit Ecclesia interdictum recuperanda possessionis intentare, quia, licet Ecclesia possessione juris percipiendi pensiones ex tali castro absolute non sit spoliata; est tamen per translationem illius castri in hominem potentem illi adempta libertas possidendi, ita, ut periculum sit, ne hanc ipsam possessionem juris sui omnino amittat: ideòque, cum Ecclesie partim adimatur, partim turbetur possessio juris sui, potest coram Iudice Ecclesiastico petere, ut violentus invasor, vel turbator per censuras compellatur ad restituendum castrum Titio; cum Ecclesie intersit, ut in plenam, & liberam possessionem juris sui restituatur; ut constat ex *cit. c. ult. h. t.* Ratio est, quia, cum non solum violenta occupatio, vel turbatio rerum, seu iurium Ecclesie, sed etiam libertatis ea possidendi, sit quoddam sacrilegium, cum per id quoque lædatur Ecclesia; ideo de ea cognoscere potest Iudex Ecclesiasticus, & agi interdicto *Vnde vi*, coram illo, etiam contra laicos, *Abb. in cit. c. ult. n. 2.*

Potrà tamen si Pisani iusto titulo à Lucanis obtinuissent possessiones castrorum, ex quibus Ecclesia Lucana pensiones recipiebat, si tamen Ecclesia à Pisanis difficulter jus suum consequi posset, quia inimicos, vel duriores, erga Ecclesiam se exhibent, tum implorato Iudicis officio, petere posset, ut rescindatur alienatio castrorum in Pisanos facta; cum ex eâ conditio Ecclesie durior reddatur, *Arg. c. In aliquibus; 32. de decimis*, ubi præcipitur dominis prædiorum, ut ea talibus colonis tradant, à quibus decimæ quietè persolvantur, *Abb. c. l. n. 13.* Ratio allata decisionis est, quia non dicitur quis plenè, ac liberè possidere, non solum, si defacto turbetur, aut molesteretur, sed etiam, si facile turbari, & expelli possit: nam potentia, quæ facile reduci potest in actum, quandoque sumitur pro ipso actu; & ita utroque casu interdicto recuperanda possessionis locus est; prout in proposito Ecclesia Lucana defacto non turbabatur in possessione juris percipiendi pensiones ex castris, facile tamen poterat per Pisanos turbari, & spoliari possessione juris sui, *Abb. in cit. c. ult. n. 8.*

Notandum quarrò. Confessio in Iudicio legitime facta non est invalida, tamen si processus, & sententia sit irrita, ob supervenientem defectum extrinsecum, ut in proposito ob defectum formæ mandati, modò defectus ille non concernat confessionem. Sic in proposito valida fuit confessio Episcopi Lucani facta in Iudicio, & coram Iudice, quamvis sententia subdiaconi fuerit irrita pronunciata, *Abb. in cit. c. ult. n. 9. h. t.* nam, quamvis Episcopus Lucanus possessione pensionum, ac censuum non fuerit spoliatus, prout ipse confessus fuit, debuit tamen Subdiaconus à Papa delegatus facere, ut plenè, ac liberè

eas posset Episcopus percipere: quod cum non fecerit, non servavit formam mandati, quoad modum, & ideo processus fuit ipso iure irritus, *Gl. in cit. c. ult. v. Possessionem; & v. Irritum.*

VIII. Quaritur tertio. An, si alicui liber homo, vel laico res facta, v. g. Ecclesia, beneficium Ecclesiasticum, aut spirituales decimæ, quas defacto detinet, per vim eripiantur, locus sit interdicto *Vnde vi*, seu recuperanda possessionis? Respond. negativè, ut tradit *Gl. in c. Ex parte; 14. v. Commendo; h. t. & ibid. Abb. n. 23. Menoch. in præludis de recup. possess. n. 2. Laym. de restitut. spol. ibes. 25.* Ratio est, quia spoliatus minimè censeri debet, qui non potuit possidere: liber autem homo possidendi non potest, etiam si quis eum vinxerit, *l. Qui miseris; 30. §. 1. & l. Cum heredes; 23. §. ult. ff. De acquir. poss. nisi jus in eum, ac personalis obligatio ex præcedente aliquo titulo acquiratur, ut quia iusto bello captus est, vel emptus ab aliquo, aut quia matrimonii vinculo, vel Ordinis professione voluntariè est affectus. Neque res factæ, & spirituales à laico possideri possunt, sine legitimo titulo concessionis, *c. Causam; 7. de prescript.* Quare reus conventus adversus spoliatum agentem interdicto *Vnde vi*, objicere potest talem exceptionem, per quam concludat, eum possidere nec potuisse, nec posse: ut ex communi tradit *Menoch. remed. 15. recup. possess. n. 433. & seqq. v. g. adversus repetentem beneficium possessionem objici potest, eum esse laicum, qui spiritualia possidere minimè potest, cit. c. Causam, item adversus repetentem, seu recuperare volentem uxorem, objici potest, eum esse Monachum, qui uxorem habere non potest. Similiter adversus Clericum spoliatum beneficio, si restitutionem illius petat, objici potest exceptio incapacitatis, videlicet, quòd non sit Clericus ferens habitum, & tonsuram, vel, quòd non sit intra annum promotus ad Presbyteratum; prout exigit beneficium curatum, *Menoch. c. l. n. 436.***

S. II.

Contra quem competat Interdictum, Unde vi, vel non, & quando expiret?

IX. Assertio prima. Interdictum *Vnde vi*, five recuperanda possessionis non competit, nisi adversus eum, qui alium possessione suâ deiecit, aut deieci mandavit (modò factum fuerit subsecutum) aut deiectionem, seu spoliationem suo nomine factam ratam habuit; ut constat ex *l. 1. §. Deiecit; & §. Sed etsi quod; ff. De vi, & vi arm.* quia ratihabitionem retrahit, & mandato non est dubium comparati, *Reg. juris 10. in 6.* ita tamen, si spoliationem suo nomine factam ratam habuerit, *Gl. in cit. §. Sed etsi; v. Ratam habuero.*

Idem etiam habetur in *c. Cum ad sedem 15. h. t.*
 » Nam ortâ controversiâ inter Hospitalarios Jerolymitanos, ex una parte, & Episcopum Cumanum, ex alterâ, super Ecclesia, & Hospitali, ea ab Innocentio III. commissa fuit alicui Abbati, eâ formâ, ut audiret omnia, tam ad possessorem, quam pe-

titorium Judicium pertinentia, quæ utraque pars
 proponeret, ipsamque causam cognosceret ac desi-
 niret. Coram quo procurator Hospitalis compa-
 rens petiit, ut Episcopus restitueret dictam Eccle-
 siam, & Hospitalis, unâ cum possessionibus, ac per-
 tinentiis suis, Hospitalariis, eò quòd de jure ad il-
 los ea spectarent, & quia ab antiquo ipsa possedis-
 sent. Ad quæ respondit procurator Episcopi, se
 nec scire, nec credere, hæc ab Hospitalariis fuisse
 possessa, vel ad illos pertinere, sed Episcopum ea,
 utpote in sua Diocæli posita, legitime tenere. Cùm
 autem utraque pars ad fundandam intentionem
 suam testes produxisset, Abbas Episcopum, ejusque
 procuratorem ad restitutionem condemnavit. Sed
 Episcopus à sententia illa ad Papam appellavit, co-
 ram quo causa examinata, videbatur per testes ex
 parte Hospitaliariorum productos probatum esse,
 quòd Nuncius Episcopi cruces hospitalariis abstu-
 lerit, inhibendo eisdem, ne ad Ecclesiam, & Ho-
 spitale redirent, & quòd Episcopus omnia prædicta
 possideret; ideòque procurator postulabat, ut Ho-
 spitalarii tanquam spoliati restituantur. Sed ex
 parte Episcopi responsum fuit, tamen probatum
 sit, Nuncium spoliasse Hospitalarios, non tamen
 probatum fuisse, quòd ex mandato Episcopi id fe-
 cerit, vel quòd postea ratum habuerit. Sed pro-
 curator Hospitaliariorum replicavit, quamvis osten-
 sum non sit, Episcopum id mandasse, tamen Judicem
 facile potuisse ex aliis causis animum informare de
 spoliatione facta: ideòque pro illius sententia præ-
 sumendum esse, quòd justè lata fuerit. His audi-
 tis, Papa pronuntiavit, interdictum *Vnde vi*, non
 potuisse locum habere, cùm nec per depositiones
 testium, nec per confessiones partium in Judicio
 factas, nec per instrumenta, quæ de spoliatione
 tractarent, nec per evidentiam facti constet, aut
 probari possit, quòd Episcopus Hospitalarios spo-
 liaverit, vel spoliari mandaverit, vel saltem spolia-
 tionem factam ratam habuerit: ideòque Abbatis
 sententiam cassavit.

X. Hinc colligitur primò. Quòd interdictum
Vnde vi, non datur, nisi contra illum, qui spoliavit,
 vel mandavit, vel ratam habuit spoliationem; quam-
 vis familia illius spoliaverit: ideòque in casu hujus
 c. inepè fuit intentatum interdictum recuperandæ
 possessionis contra Episcopum; quia nuncius ipse
 spoliavit hospitalarios; ut advertit *Gl. Hic in noi. & V.*
Interdictum. Quare, si servi, aut famuli aliquem spolia-
 runt, seu possessione dejecerunt, sine mandato domi-
 ni, eòque ignorante, aut invito; ipse dominus non po-
 test conveniri interdicto *Vnde vi*, neque tenetur re-
 stituere, nisi, si quid ad ipsum pervenit, l. 1. §. *Aut Preter;*
& §. Quod igitur; ff. De vi. Nominè autem familiae, non
tantum ii, qui propriè servi sunt, sed etiam liberi ho-
mines, quorum operâ, ac ministerio utimur, intelli-
gendi sunt, ut notat Gl. in cit. §. Quod igitur; V. Servo-
rum. Ratio est, quia ex generali Regula tradita apud
Abbatem in c. 1. n. 7. h. t. dominus non tenetur ex
delicto famuli, aut officialis sui, nisi is delinquat in eo
officio, cui à domino est præpositus, l. 1. §. Familie;
ff. De publican. §. Item exercitor; Instit. de obligat. que ex
quasi delicto & c. ubi dicitur: Quia dominus ali quate-
nus culpa reus est, si opera malorum hominum utar-
tur, ideòque quasi ex maleficio tenetur. Quòd si
dominus in culpa non sit, ut, quia rationabiliter pu-
 Tomus II.

tavit, se famulum bonum, ac diligentem officio præ-
 posuisse, non tantum in foro conscientia, sed etiam
 in foro externo ad restitutionem damni per famulum
 illati non obligatur, si probaverit, se innocentem, &
 extra culpam esse: quia, licet præsumptio sit contra
 dominum, non tamen ea est juris, & de jure, sive talis,
 contra quam probatio in contrarium non admit-
 tatur, *Laym. de restit. spol. th. 34.*

Colligitur secundò. Contra eum, qui spoliavit,
 vel vi deiecit, datur hoc interdictum, etiam si rem
 non amplius possideat, quia, quamvis desierit posside-
 re, sive rem amiserit, etiam sine dolo, & culpa sua,
 tenetur restituere, saltem æstimationem rei, & quanti
 interest spoliati, vim illatam non esse, ut omnino in-
 demnis ferretur: quia eo ipso culpa præcessit, quòd
 vi deiecerit, seu spoliavit, *cit. l. 1. §. Ex interdicto, &*
l. Si vi me; 15. ff. De vi.

Colligitur tertio. Licet causa commissa sit co-
 gnoscenda, tam super petitorio, quam possessorio,
 potest tamen actor, vel simul intentare utrumque
 Judicium, vel primùm possessorium tantum, ut in
 casu hujus c. quia commissio facta super utroque
 non mutat, nec tollit privilegium concessum posses-
 sori, seu spoliato, quin prius petere possit restituti-
 onem; juxta c. 1. h. t. *Gl. in cit. c. Cum ad Sedem; 15. &*
ibid. Abb. n. 7. h. t.

Colligitur quarto. Quatuor esse modos proban-
 di, per testes, per instrumenta, per confessionem par-
 tis, & per evidentiam facti; quibus addi potest quin-
 tus per violentam præsumptionem, *Gl. Hic Vers. Di-*
ctum testium; de quibus infra suo loco.

XI. Assertio secunda. Quamvis Interdictum
Vnde vi, heredi, & ceteris successoribus spoliati com-
 petat, l. 1. §. *Hoc interdictum; 44. ff. De vi; §. Non au-*
tem Instit. de perpet. & tempor. action. Non tamen da-
tur contra heredes, aut successores universales spolia-
toris, cùm pænale sit, l. 2. C. Vnde vi; sed ejus loco
actio in factum comperit contra heredem, quatenus
ad ipsum pervenit, seu quatenus ex re per vim inju-
stam ablatâ, aut occupatâ locupletior factus est, l. 1.
§. ult. vel dolo malo ejus factum est, quòd minus per-
veniret, l. 2. & l. 3. §. Hæc actio; & §. ult. ff. De vi;
 Licet enim pœna ad heredem non transeat: attamen
 quòd turpiter, aut scelere questum est, ad compen-
 dium, seu commodum heredis non debet pertinere,
l. Quod diximus; 16. §. ult. ff. De eo, quod mer. caus. quin
 imò non tantum heres, si commodum ex re perce-
 pit, licet postea non amplius extet, aut in hereditate
 reperiat; sed etiam heres heredis actione hac in fac-
 tum tenetur; quippe cùm hereditarias ejusmodi ob-
 ligationes in se suscipere videatur, nisi res casu apud
 heredem perisset; tum enim non tenetur, *l. Videamus;*
17. & l. seq. ff. De eo, quod mer. caus. Laym. de restit. spol.
thef. 38.

XII. Assertio tertia. Contra successorem sin-
 gularem spoliatoris, v. g. cum, qui à spoliatore emit,
 aut dono accepit, non potest agi interdicto *Vnde vi*,
 cùm hoc interdictum sit merè personale, c. *Sæpe; 18.*
junct. Gl. V. Non subvenitur; h. t. l. 7. ff. De vi; ubi di-
citur: Cùm à te vi dejectus sim. si Titius eandem rem
possidere cœperit (vi, vel non vi, ut ait Gl. ibid. Vers.
Possidere;) non possum cum alio, quam tecum inter-
dicto experiri: nisi fortè spoliator solvendo non
 sit: tum enim adversus emptorem, donatarium,
 vel alium particularem successorem spoliatoris,
 seu

seu tertium possessorem, qui rem à spoliatore accepit, interdicto *Vnde vi*, agi potest, ad rei restitutionem; ut tradit *Gl. in cit. l. Cum a te; 7. V. Non possum*. Potest etiam contra quemvis tertium possessorem agi alio remedio possessorio; ut infra dicitur.

XIII. Assertio quarta. Etiam contra Judicem injuste spoliantem intentari potest Interdictum *Vnde vi*, seu recuperanda possessionis; ita, ut spoliatus à Judice, prætermisso juris ordine, restituendus sit, perinde, atque si à privato spoliatus esset, & postea de jure, seu proprietate spoliati cognoscendum sit; prout sumitur ex *c. Conquerente; 7. h. t.* Nam, cum Robertus Clericus conquestus esset apud Papam Alexandrum III. quod Archiepiscopus Cantuariensis ipsum, non servato juris ordine, Ecclesiâ suâ parochiali spoliavit: respondit Papa, non debere Archiepiscopum, sine manifesta, & rationali causa, Clericos suæ jurisdictioni subjectos suis beneficiis spoliare, quibus potius paternè providere tenetur. Quare mandat Papa, ut, si ita est, sicut narratum fuit, dicto Roberto parochiam illam, cum fructibus inde perceptis (& qui percipi potuerunt, *Gl. hic V. Perceptos*;) restituat, eumque pacificè possidere permittat: restitutione verò factâ, si quid contra prædictum Robertum super parochia proponere voluerit, coram Episcopo Oxonensi Apostolicæ Sedis delegato, per se, vel per idoneum procuratorem Judiciario ordine experiri poterit.

Consentit *c. Cum causa 22. de offic. Jud. deleg.* ubi, cum Judices delegati unius partis exceptiones admittere nollent, & non obstante, quod appellassent ad Papam, actorem in possessionem decimarum, de quibus inter duos Episcopos lis erat, immisissent, Papa mandavit aliis delegatis à se Judicibus, ut, si ita se res habeat, Episcopo, qui appellavit, decimas (sive per potentiam laicalem, sive per prædictos Judices spoliatus fuerit) unâ cum fructibus inde perceptis, restitui faciant: quod si autem contra dictum Archiepiscopum quidpiam de jure, seu proprietate decimarum propositum fuerat, iidem Judices cognoscere, ac definire debeant. Concordat etiam *c. Ex infuante; 3. de procurat. de quo dictum l. 1. tit. 38. n. 92.*

XIV. Notandum primò. Distinguendum hic est: nam, vel Judex extrajudicialiter, seu prætermisso juris ordine, & absque causæ cognitione, aliquem possessione rei suæ, veluti beneficii, aut alterius rei, spoliavit, aut privavit: & tunc contra illum agi potest interdicto recuperanda possessionis, quia Judex excedendo fines officii sui, & procedendo de facto, absque causæ cognitione, in præjudicium alterius, censetur veluti privata persona, adeò, ut ei impune non pareatur, sed licite resisti possit, *l. Prohibitum; 5. C. De jure fisci lib. 10. Imol. in cit. c. Conquerente; n. 5. & ibid. Abb. n. 6. h. t. Menoch. remed. 8. recup. poss. n. 8. & 9. Gail. lib. 2. obs. 76. n. 2. & 3.*

Excipe primò, nisi causâ auferendi beneficium, vel feudum notoria sit: quia in notoriis ordo juris non requiritur, *c. Ad nostram; 21. de jurejur. Menoch. c. l. n. 12.* Verum, quia hoc casu præsumptio est contra Judicem procedentem, non observato juris ordine; ideo ipsi probatio incumbit, causam auferendi notoriam esse, *Laym. de restit. spol. thes. 40.* Excipe secundò, nisi Judex ex officio extrajudicialiter, & absque juris ordine procedat, v. g. ob necessitatem,

ad impediendum scandalum, aut peccatum: tum enim pro Judice privante aliquem possessione suâ est præsumptio, ut tradit *Abb. in cit. c. Conquerente; n. 15. & Imol. n. 5. & consequenter non competit contra eum interdictum recuperanda possessionis.*

Vel Judex in Judicio per sententiam latam aliquem spoliat, seu privat possessione suâ; & tunc, si incompetentis sit, seu actuali jurisdictione præditus non sit, perinde est, ac si extrajudicialiter, & ut privatus spoliaret: adeoque contra illum agi potest interdicto *Vnde vi*, juxta *cit. c. Cum causa; 22. de offic. deleg.* Ratio est, quia non potest dici judicatum ab eo, qui non habet jurisdictionem; & paria sunt, sententiam non esse latam, vel à Judice incompetente latam, *Gail. c. l. n. 12.* Ut si v. g. judex laicus contra Clericum, vel etiam contra laicum, in causa Ecclesiastica, seu spirituali, sententiam ferat, & exequatur: nisi Judex secularis ex probabili errore Clericum v. g. condemnavit, putans, illum esse laicum: tum enim non debet censeri, vim injustam intulisse: ideoque hoc casu per viam nullitatis acta rescinduntur, *Laym. c. l. th. 41.*

Si verò Judex competens sit, & jurisdictione præditus, atque judicialiter processit, sed ordinem juris, & justitiam pervertit; tum distinguendum est, num vitium substantiale sit, an accidentale tantum? Priore casu, si vitium sit substantiale, sive tale, ex quo sententia ipso jure nulla redditur; tum etiam executio ejus spoliatio censetur: & consequenter contra talem Judicem competit interdictum *Vnde vi*; ut si, absque citatione, vel lite non contestata, in Judicio ordinario sententia definitiva lata sit: vel, si sententia intolerabilem errorem, adeoque manifestam injustitiam continet; ut si lata sit contra legem apertam, usque receptam, vel si contineat expressionem causæ notoriè fallæ, in qua adæquatè, vel principaliter sententia fundatur, *c. 1. c. Cum inter; 13. de sent. & re Jud. l. 1. c. Quæ sentent. sine appell. rescind. l. Cum prolati; 32. ff. De re Judic.* Posteriori verò casu, si vitium accidentale tantum sit, quia videlicet judex ordinem juris mutavit; non tamen, qui requiratur ad substantiam processûs, cujus omisio vitiat processum, sed qui pertinet ad justitiam processûs, cujus omisio eum non facit irritum, sed ope appellationis, aut supplicationis rescindi debet: hoc casu, sententia lata valet, & executioni mandari potest, nisi appelletur: & consequenter contra Judicem sic procedentem non competit interdictum *Vnde vi*: cum enim processerit judicialiter, sive in figura Judicii, ita, ut saltem validus sit processus, non dicitur violentiam intulisse; sed debet reus, seu spoliatus appellare ad rescindendam sententiam injustam, *Imol. in cit. c. Conquerente; n. ult. & Abb. n. 7.* Ut si v. g. judex petitorium Judicium tractet ante possessorium; vel si sententia lata sit contra jus non manifestum, sed dubium, & intricatum; ut docet Vantius de nullitatibus ex defectu processûs n. 16. & n. 124. *Laym. c. l. th. 42.*

Illud hic addendum, pro Judice judicialiter procedente, aut sententiam latam exequente, si competens sit, & jurisdictione præditus, semper esse præsumptionem, quod justè processerit, donec contrarium probetur, *Arg. c. Dilectus; 26. de rescript. Gl. Recepta; in c. Presentium; 3. caus. 7. q. 1. in fine, Laym. c. l. & consequenter, qui agere vult contra eum tanquam spoliatorem, probationes afferre debet, & ostendere, sibi injuriâ illatam esse, alioquin restituendus non est.*

XV. No-

XV. Notandum secundò. Circa *cit. c. Con-*
querente; qui petit restitutionem beneficii, non tene-
tur iustificare, seu ostendere titulum, quo possidet,
sed sufficit probare possessionem, & spoliationem:
ideò que Papa in casu dicti c. tantum mandat inquiri,
an Clericus fuerit spoliatus possessione beneficii. *Abb.*
hic n. 4. de quo infra. Neque etiam hoc casu potest ju-
dex cognoscere de titulo, seu proprietate beneficii;
quia spoliatio Clerici, non servato juris ordine, consti-
tuit se adversarium ejus, qui beneficium tenet: adeòq;
non debet esse iudex in facto proprio. *Gl. hic v. volueris.*

XVI. Assertio quinta. Interdictum *Vnde vi*,
non competit liberis adversus parentes; neque liberis
contra patronos; quia atrocitatem facinoris in se
continet, quod infamiam aliquam facti apud viros
honestos parit: sed ejus loco datur actio in factum,
per quam filius à parente, libertus à patrono, quæ
sibi erepta sunt, vel damna illata repetere potest; nisi
hi vi armata usi sint; tum enim interdictum hoc com-
petit, l. 1. §. *Interdictum hoc* 43. ff. *De vi.* Sed ne-
que vasallo contra dominum hoc Interdictum datur;
ut docet *Menoch. remed. 1. recup. possess. n. 94. & 95.*
quamvis, si dominus vasallum, prætermisso ordine, &
contra jus spoliaret, conquiri de eo potest vasallus
apud Curiam, ut ad restituendam possessionem cog-
gatur, salvâ tamen ejus reverentiâ; ut habetur *lib. 2.*
feudor. de milite vasallo, qui contumax est, §. *Si ve-*
ro vasallus junct. Gl. v. Salvâ reverentiâ; ubi *Gl. marg.*
ait, salvâ reverentiâ, in jus vocare aliud non esse,
quam actionem famosam honestis verbis temperare.

XVII. Assertio sexta. Interdictum *Vnde vi*,
sive recuperanda possessionis non, nisi intra annum
intentari potest, utilem tamen, non continuum, l. 1.
in princ. junct. Gl. v. Annum; & §. Annum; ff. De vi; &
l. 2. v. Unde vi. Dicitur autem annus utilis, in quo
non computatur tempus, quo spoliatus agere non po-
terat, propter impedimentum, sive ex parte actoris,
quia v. g. ignorabat, se spoliatum; sive ex parte Judicis,
quia iustitia non administrabatur; sive ex parte Rei,
quia spoliator quacunq; ratione impediabat, *Me-*
noch. cit. remed. 1. n. 450. quoad rei verò persecutio-
nem, de eo, quod ad spoliatorem pervenit, etiam post
annum datur, *cit. l. 1. in princ. ff. De vi*: sicuti etiam
si spoliatio propriè per modum exceptionis opponat-
ur, anni lapsu non tollitur, sed perpetuò durat, *Gl. in*
cit. l. 2. v. Annum; C. v. Unde vi; Menoch. cit. remed. 1. n.
453. & seqq. temporalia enim ad agendum perpetua
sunt ad excipiendum, l. *Purè; §. in fine ff. De excepti-*
oali. Item actio illa pœnalis, sive conditio ex l.
Si quis; 7. C. v. Unde vi, (quæ tamen hodie vix in usu
est, teste *Laym. de restitu. spoliati. thes. 44.*) ut videlicet
spoliator rem, si sua sit, perdat, si aliena, præter
restitutionem; etiam in estimationem ejus condem-
nari debeat, non, nisi per lapsum 30. annorum ex-
cludatur, ut tradit *Gl. marg. in cit. l. 1. lit. a. ff. De vi.*
Alia verò remedia possessoria, de quibus infra, & im-
ploratio officii Judicis, si possessio vitiosa sit, & pos-
sessor in mala fide, nullo unquam tempore præscri-
ptione tolli possunt, juxta *Reg. jur. 2. in 6.* Deni-
que illa remedia recuperanda possessionis, quæ dan-
tur contra eum, qui rem detinet, cum possessionis
incapax sit, v. g. contra laicum detinentem beneficium
Ecclesiasticum, semper durant: quia incapax possi-
dendi est etiam incapax præscribendi; ut tradunt DD.
in c. Causam; 7. de prescript. Laym. c. l.

Tomus II.

§. III.

An, & quâ ratione spoliatus possessione restituendus sit, & quando non?

XVIII. Assertio prima. Si de spoliatione fa-
ctâ verè constet, aut ea legitime probata sit; tum spo-
liator in Judicio non auditur, si se offerat, ac paratus
sit incontinenti probare, dominium sibi competere
ejus rei, de cujus possessione alterum vi deiecit; sed
spoliatus ante omnia restituendus est, ita tamen, ut
ipsi spoliatori, post restitutionem factam referretur
Judicium proprietatis, juxta l. *unic. in fine C. Si de mo-*
ment. possess. & c. & constat etiam ex c. 1. h. t. ubi dicitur
quod ante omnem contentionem debeat possessio
violenter ablata alicui restitui, nempe si id pete-
rit & c. & docet *ibid. Gl. Communiter recepta; v. Con-*
tentionem; Menoch. remed. 1. recup. possess. n. 11. & 12.
Secus est in interdicto adipiscendæ possessionis, vel in
aliis Judiciis possessoriis, in quibus exceptio domini,
etsi incontinenti probari possit, obstat agenti; ut no-
tat *Gl. in cit. c. 1. v. Contentionem, Abb. ibid. n. 5.* Id-
que peculiariter statutum fuit in interdicto *Vnde vi*,
tum in favorem spoliatorum; tum etiam in odium
violenti spoliatoris, qui, licet fortè jus aliquod, vel
etiam dominium in re habuerit, non tamen debuit
rem propriâ auctoritate occupare, & sibi ipsi jus di-
cere; sed Judicio experiri, non vim facere: ideòque
nec temporis momento debet res penes spoliantem
manere, ne ex delicto, & iniquitate suâ commodum
ferat, *Arg. c. Eun qui; 18. de præb. in 6.* ubi in fine
decernitur, quòd violenti, qui propriâ auctoritate
beneficia occupare non verentur, jus, quod in illis,
vel ad illa habebant, ipso facto amittant: alioquin sa-
pe daretur ansa alios violenter spoliandi, si spoliator
possessionem, quam propriâ auctoritate occupavit,
retinere posset, ita, ut statim fieret actor, neque aliud
ab eo requireretur, nisi, ut dominium probet, & ex
proprio delicto commodum sentiret, *Abb. c. l. Me-*
noch. cit. remed. 1. n. 242. & 243.

XIX. Præterea, quòd violentè spoliatus, an-
te proprietatis quaestionem, restituendus sit in pos-
sessionem, probatur etiam ex c. *In literis; §. h. t.* ubi
ad illam quaestionem, si quis dicat se violenter de
Ecclesia, vel beneficii possessione ejectionem esse, sed
adversarius asserat, illum non fuisse canonicè insti-
tutum, respondet Papa Alexander III. hoc casu,
prius de violenta ejectione, quam de canonica in-
stitutione cognoscendum esse: quia etiam prædo
secundum rigorem juris, restituendus est, ubi ri-
gor accipitur pro subtilitate juris, quæ benignitati,
seu æquitati opponitur; ut explicat *Abb. hic n. 6.*

XX. Notandum hic primò. Quæstio spolia-
tionis præcedere debet quaestionem proprietatis, &
petenti restitutionem non potest objici defectus pro-
rietatis, nisi prius fuerit restitutio facta, *Gl. Hic in*
notat. ut in casu hujus c. petenti restitutionem bene-
ficii non potest objici defectus institutionis non ca-
nonicæ, nisi prius spoliatus restitatur.

Notandum secundò. Quod hic dicitur, prius
de violenta ejectione, seu de spoliatione, quam
de canonica institutione agi debere, id dupliciter
potest intelligi; ut notat hic *Abb. num. 4.* Primò,
ut denotetur ordo in eadem instantia Judicii;
& tunc sensus est, quòd exceptio non canoni-

ca institutionis, seu proprietatis, non debeat admitti, ita, ut simul tractetur cum petitione restitutionis; sed differri, & prius tractari quaestio restitutionis, & postea quaestio proprietatis, in eadem tamen instantia. Verum haec expositio non est conformis iuri, quia in *c. fin. supr. de Ord. cogn.* deciditur, quod spoliatus non teneret respondere spoliatori, ante factam restitutionem; & sic prius ferri debet sententia super restitutione, per quam finitur instantia illius iudicii: adeoque non in eadem instantia utraque quaestio est tractanda. Secundò, potest intelligi, ut denotetur ordo, quoad diversam instantiam, ita, ut sensus sit, quod quaestio de restituenda possessione, & quaestio de proprietate non possint cumulari, seu simul tractari in eadem instantia; sed prius debeat cognosci, & finiri quaestio possessoria, & postea proponi, seu intentari quaestio proprietatis, sed in alia instantia: & hic est verus intellectus hujus *c.*

XXI. Jam verò contra decisionem hujus *c.* objicitur primò. Dicitur hic, quod prius de violenta ejectione sit agendum; cum tamen hic non ageretur de violenta, sed petebatur restitutio possessionis ablatae; ut patet ex fine hujus *c.* Respond. id ita debet intelligi: de violenta ejectione, id est, de possessione violenter ablata, vel occupata: nam aliud est, quando agitur criminaliter ad puniendam violentiam illatam; aliud, quando civiliter ad restituendam possessionem per vim ablatam, aut occupatam, *Gl. hic V. De violenta, & Abb. n. 6.* Objicitur secundò. Causa possessionis, & proprietatis simul possunt proponi, & intentari in eodem iudicio, *c. 2. de ord. cognit. & c. 3. & 4. tit. preced.* ergo etiam quaestio restitutionis, & proprietatis. Respond. Potest quidem iudicium possessorium, & petitorium simul proponi, & intentari ab eadem persona; non tamen unum ab una parte, & alterum ab adversa parte; ut, si actor sive spoliatus intenderit iudicium possessorium, sive interdictum recuperandae possessionis, non potest reus, sive spoliator, ante restitutionem factam, intentare petitorium, & offerre se ad probandum proprietatem (qui est casus hujus *c.*) si actor, seu spoliatus excipiat, sive non consentiat *c. 1. h. t. De quo infra, Gl. hic V. De violenta, & Abb. n. 7.* Objicitur 3. Dolo facit, qui petit, quod redditurus est, *l. 8. ff. De doli excepti.* Sed, si spoliatus non habeat canonicam institutionem in Ecclesia, vel beneficio, debet rem ipsi restitutam postea reddere, ob defectum proprietatis: ergo petenti illam obstabit exceptio doli. Respond. Regula illa solum habet locum, quando agens tenetur restituere rem excipienti; non autem, si alicui tertio, sive dolo facit, qui petit, quod redditurus est, non ei, à quo petit, sed alii, nempe domino, *Abb. hic n. 8. Gl. in cit. l. 8. V. Redditurus est; junct. Gl. marg.* At in proposito, si probetur, spoliatum non esse dominum rei, is debet reddere rem, non spoliatori, sed vero domino rei. Deinde haec regula non habet locum in interdicto recuperandae possessionis, in quo reus, sive spoliator non est audiendus, ante restitutionem, nisi super quaestione possessionis *c. fin. de ord. cognit.* licet forte locum habeat in aliis iudiciis possessoriis; ut tradit *Gl. in cit. l. 8.* in quibus cessant rationes, ob quas statutum est, ut ante restitutionem, non admittatur quaestio proprietatis, *Abb. in c. 2. n. 5. h. t.*

XXII. Assertio secunda. Si quis alterum vi expulit, ac possessione dejecit, potest expulsus, seu spoliatus statim, seu incontinenti, id est, antequam ad alia negotia diverat, licet eum iterum expellere, ac dejicere, non autem ex intervallo, *l. 3. §. Eum igitur; junct. Gl. V. Incontinenti; ff. De vi, & vi arm.* Ratio est, quia violenta dejectio confestim facta spectat ad licitam rerum defensionem, *l. 1. c. Vnde vi facta autem ex intervallo potius censenda est vindictio, quam justa rerum defensio, Zaf. in Comment. ff. De vi; n. 3.* Et hinc etiam praedoni, seu spoliatori, qui alterum vi expulit, ac possessione dejecit, si expulsus, seu spoliatus, non incontinenti, sed ex intervallo, eum iterum expellat, ac dejiciat, interdictum *Vnde vi*, competit, ita, ut ante omnia praedo, seu spoliator restituendus sit, *l. 1. §. Qui mes junct. Gl. V. Habet; ff. De vi, & in cit. c. In literis; §. in fine h. t.* ubi absolute dicitur, quod etiam praedo, secundum juris rigorem, restituendus sit. Ratio est, quia nemo, propria auctoritate, sibi jus dicere debet, si iudicis copiam habere possit, & ultimum spoliium purgandum est; ut colligitur ex *l. 3. §. Eum igitur; ff. De vi. Menoch. remed. 1. recuper. poss. n. 110.* Idque sumitur etiam ex *l. 1. §. Si praedo; & l. Bona; 31. ff. Deposit.* ubi dicitur: Si praedo, vel fur res furivae depoluerint apud aliquem, agere possunt depositi: quia eorum interest, cum alteri teneantur, & habeant etiam depositarium sibi obligatum ad reddendam rem depositam, *Abb. in cit. c. In literis; n. 9.* dummodo restitui possit, sine damno veri domini. Nec obstat, quod restitutio non debeat fieri cum peccato, sine quo res aliena retineri non potest: quia, quamvis praedo, vel fur illicite teneat rem alienam, respectu veri domini, non tamen respectu secundi spoliatoris, neque ipsi furi, vel praedoni res restituitur, ut eam ipse usurpet, sibi que retineat, sed, ut domino reddere possit: ac denique praedo agit contra personam ejus, qui vim ipsi intulit, interdicto *Vnde vi*, quod est interdictum personale in rem scriptum, *l. 1. ff. De interdict. Abb. c. l. n. 9. in fine.*

XXIII. Porro Papa in *cit. c. In literis; h. t.* argumentatur à majore ad minus, si iure civili statutum est, ut, qui noscitur esse praedo, in possessionem suam, à qua dejectus est, restituitur: quanto magis restituendus est privatus possessione beneficii, si notorium non sit, eum intrusum, seu iniquum possessorem esse: tamen quaestio de jure, seu titulo institutionis ei moveatur, ac objiciatur, canonicè institutionem non esse; prius enim hoc casu de violenta ejectione, seu spoliatione possessionis, quam de institutione canonica cognoscendum est; sicut etiam colligitur ex *Clement. unic. de caus. poss. & propriet. Abb. c. l. n. 9.* Antem hoc casu, spoliatus beneficio ante restitutionem debeat justificare, seu probare titulum institutionis, infra dicitur.

Verum, licet supra dicta, spectato juris rigore, procedant, aequitas tamen naturalis postulat, ut praedo non restituatur in possessionem, à qua etiam ex intervallo vi dejectus est, si is, ad quem res pertinet, enorme, seu irreparabile damnum passurus fuisset, nisi eam propria auctoritate occupasset; vel adhuc patieretur, si res adversario restituatur, juxta *l. Si alius; 7. §. Bellissime; & ibi Gl. V. Ex magna; & Bart. ff. Quod vi, aut clam. Laym. dij. de restit. spoliat. thes. 6.*

XXIV. Co

XXIV. Ceterum, si prædo, seu spoliator injus-
 tus notorius sit, & is vicissim à Domino rei, aut quasi
 Domino, seu bonæ fidei possessore, non ex inconti-
 nenti, sed ex intervallo spoliatus sit, non debet is
 rineri, sed ex intervallo Dominum spoliatorem, quia per
 restitutum adversus Dominum spoliatorem, quia per
 exceptionem removeri potest, quod minus restituatur.
Abb. in cit. c. In litteris; n. 10. Menoch. Remed. 1. recup. poss. n. 122. Nam in pari causa commissi spolij, præ-
 ferendus videtur Dominus, aut quasi Dominus rei, qui
 ex jure gentium facultatem habet rem suam ab injusto
 spoliatore recuperandi, cum naturali æquitate consen-
 taneum sit, ut melior sit conditio innocentis, quam
 nocentis. *Menoch. c. l. n. 128. Laym. cit. thes. 6.* Neq; verò
 lege cautum reperitur, Dominum propriâ auctoritate
 rei dominio privati, nam l. *Si quis; 7. C. unde vi.* non
 loquitur de Domino eripiente rem suam prædoni, ne-
 que Domini adversus prædonem propriè spoliium di-
 ci potest, cum jure permittente suum tantum recupe-
 ret; & in notorijs potest quis sibi ipsi jus dicere. *Me-
 noch. c. l. n. 128.* Aliud est, si prædo, seu spoliator
 non à Domino rei, sed alio, qui Dominus non est,
 nec jus in re habet, vicissim spoliatus sit; tum enim
 adversus eum restituatur, etiam si notorius prædo sit,
 juxta *c. in litteris; in fine, & ibi Abb. n. 9. Menoch. c. l. n. 130.* idque aperte colligitur ex l. 1. §. *Qui à
 me; ff. de vi.* ubi dicitur: Qui à me vi possidebat, id
 est, qui me vi deiecit, si ab alio deiciatur, habet in-
 terdictum. Quòd si tamen Dominus, unâ cum prædo-
 ne, concurrat, & rem sibi restitui petat, tum ex
 æquitate præferendus est Dominus. *Arg. l. Bonâ fide;
 & 31. §. Exempli loco, ff. depositi.* ubi decernitur,
 æquissimum esse, ut spolia, que fur, vel prædo depo-
 suit, potius Domino restituantur, quippe majus jus
 habenti, si ante furem, seu prædonem, vel simul cum
 illo, ea reperat, aut vindicet; sed eo non comparen-
 te, potius injusto deponenti reddenda esse, dummo-
 do ei, absque damno veri Domini, restitui possint.
Laym. l. 3. Theol. mor. tract. 2. c. 9. num. 5. & tract. 4. cap. 25. num. 2. Quin imò, etiam si prædo notorius
 non sit, si tamen Dominus liti motæ inter spolia-
 tum, & spoliatorem superveniat, ac probet, & rem
 suam esse, & sibi ablata à prædone; secundum
 æquitatem, Domino potius, quam prædoni res re-
 stituenda est. *Arg. cap. Cum dilectus; 6. de caus. posses-
 & prop. ex quo colligunt DD. quòd proprietatis po-
 tentior sit, quam possessio; ideòque sententia super pe-
 titorio absorbeat in effectu sententiam super posses-
 sorio; neque decet, ut invalor eo, qui justè ingreditur,
 privilegio potiore gaudeat. cap. Eum, qui; 18. ff. de
 præbend. in 6. Laym. de restit. spol. thes. 7.*

XXV. Assertio 3. Sunt tamen plures casus,
 & exceptiones à Regula supra tradita, in quibus spo-
 liatus non est, ante omnia, restituendus. Nam pri-
 mo excipitur, si spoliatus consentiat, ut de exceptio-
 ne dominij, seu proprietatis, ante restitutionem fa-
 ctam, cognoscatur, & spoliator ad jus proprietatis
 sibi competentis probandum admittatur; ut constat
 ex c. *Licet; 1. h. t.* Nam cum Philarius cæcus apud
 Gregorium IX. vel potius Gregorium I, conque-
 stus esset, campum suum ab Officialibus, & famulis
 Ecclesiæ irrationabiliter, id est, violenter occupatū
 fuisse, rescriptit Papa Episcopo Constantio, si ita
 est, ut narratum fuit, quamquam aliàs ante omnerū

contentionem de proprietate, possessio campi cæco
 violenter ablata restitui deberet; quia tamē conven-
 tus Ecclesiæ illius Diaconus, consentiente cæco, ob-
 tulit, se legitime probaturum, quòd campus de ju-
 re pertinet ad Ecclesiam; ideò si id probatum fuerit,
 cæco mandandum, ut ab intentione sua, seu peti-
 tione desistat; alioquin verò campum ablatum ei-
 dem restituendum esse, cum fructibus perceptis à
 tempore dejectionis, & qui percipi poterunt. *Ho-
 stiens. hic 17. Reddatur.*

XXVI. Hinc colligitur primò, quamvis regu-
 lariter spoliatus, ante omnia, restituendus sit, si tamen
 cedat juri suo, & consentiat, ut prius tractetur super
 petitorio, seu causa dominij, sive, ut spoliator, ante
 restitutionem, probet proprietatem, restitutio non est
 facienda: idque, sive spoliatus expressè, sive tacitè
 consentiat, ut, si actor spoliatus reum, seu spoliatorè
 excipientem de dominio sibi competente, seu jus pro-
 prietatis probare volentem non repellat, aut contra
 Judicem volentem cognoscere de proprietate, non
 reclamet, vel appellet; ut ex communi docet *Berojus
 in cit. c. 1. n. 20. h. t. Menoch. remed. 1. recup. poss. num.
 161. & duobus seqq. Mascard. de probat. vol. 3. concl.
 1325. n. 1. & 7. Gabriel l. 5. de restit. spoliat. concl. 1.
 n. 61. & 64.* Ratio est, quia privilegium competens
 spoliato, ut ante omnia restituendus sit, introductum
 est, non solum in odium spoliantis, sed etiam princi-
 paliter in favorem ipsius spoliati: ideòque illi renun-
 ciare potest, & sibi imputare debet, si renunciavit.
Gl. in cit. c. 1. v. Contentionem, & ibid. Abb. n. 3. h. t.
 Sufficit autem tacitus consensus; quia ille, qui in Ju-
 dicio est præsens, & tacet, dicitur consentire etiam in
 sui præjudicium. *Berojus c. l. n. 21.* Neque verò factâ
 hac renunciatione expressâ, vel tacitâ restitutionis,
 Judex ex officio suo potest supplere, & spoliatum re-
 stituere; quia spoliatus restitui debet, si non petierit, &
 non ex mero Judicis officio non implorato, nisi im-
 mineret periculum animarum, si restitutio non fieret
 tunc enim Judex ex officio suo, etiam spoliato non pe-
 tente, ob evitandum hujusmodi periculum, restitui-
 tionem facere potest. *Berojus c. l. n. 23. & 24. Abbas
 n. 3. Menoch. c. l. n. 173.*

Colligitur secundò. Si spoliatio facta sit à fami-
 liaribus, vel servis Ecclesiæ, tenetur ipsa Ecclesia; &
 agi contra illam potest interdico, unde vi, seu recupera-
 randa possessio, si spoliium approbavit, & ratum
 habuit, vel si Ecclesia in culpa fuit, quia familiares suos
 à spolio non prohibuit, vel retraxit, vel quia res vio-
 lenter ablata ad Ecclesiam pervenit; ut colligitur ex
 hoc c. & videri potest *Abb. hic n. 6. & 7. Barb. in Col-
 lect. n. 3. de quo alibi.*

XXVII. Excipitur secundò. Non esse resti-
 tuendum spoliatum, quando, vel ex actis Judicij con-
 stat, nullum jus competere spoliato, sed spoliatori;
 quia acta faciunt notorium: vel ex confessione judi-
 ciali ipsius spoliati, qui fateretur, spoliatorem esse Do-
 minum; hoc ipso enim fateretur, se non esse; cum duo
 simul Domini in solidum ejusdem rei esse non
 possint: quia confessio est probatio probata, & facit
 notorium, modò nihil aliud post confessionem exigat-
 ur, nec aliâ probatione opus sit. Vel si de dominio, aut
 jure spoliatoris constet ex instrumento publico, quod
 paratam habeat executionem: nam, & hoc rem noto-
 riam facit, cum probationem non probandam, sed
 probatam

probatam contineat. Vel, si de dominio, seu jure spoliatoris constat per testes: nam, & per testes res redditur evidens, & notoria, l. ult. C. de probat. & instrumenta, ac testes à pari procedunt. l. in exercendis; 15. C. de fide instrum. quod locum habet, quando lis est finita, perempta instantiâ; & cum de fide testium non est probabilis hæsitatio: nam etsi, peremptâ instantiâ, dicantur perijisse, quæ sunt ordinatoria Judicij, non tamen decisoria, ut sunt dicta testium. Vel denique spoliatus non est restituendus, quando per sententiam absolutoriam latam in Judicio petitorio, in favorem spoliatoris, constat de dominio, seu jure ipsius, & non tantum, quia actor non probavit: id verò non procedit, quando spoliium factum est, post sententiam latam in petitorio, in favorem spoliatoris: tunc enim spoliatus est restituendus. ita docent Menoch. cit. remed. 1. à n. 215. usque ad n. 239. Gabriel cit. concl. 1. num. 93. & pluribus seqq. Mascard. de probat. vol. 3. rotâ concl. 1326.

Porro, etsi spoliatus non sit restituendus, quando notorium, ac indubitatum est, nullum jus competere spoliato, sed spoliatori; est tamen quoad hoc discrimen inter causas beneficiales, & profanas: nam in illis, ut restitutio denegetur, sufficit, si notorium sit, spoliatio nullum jus competere, cum non concedatur vitiosus, seu non Canonicus ingressus in beneficium Ecclesiasticum; ut constat ex Reg. jur. 1. in 6. ubi dicitur, beneficium non potest, sine Canonica institutione, licite obtineri. At verò in causis profanis ad restitutionem denegandam, non sufficit, quòd notoriè constet de non jure spoliati, sive nullum jus ei competere, cum etiam prædo, si spoliatur, restituendus sit. cap. In litteris; 5. h. t. Sed insuper etiam requiritur, ut notoriè constet de jure spoliantis; alioquin spoliatus restituendus est. Abbas in cit. cap. in litteris num. 10. & 11. Gabriel cit. concl. 1. num. 115. & 116.

Excipitur tertio. Nisi vertatur periculum animæ, si spoliatus restituatur, vnde, si marito repenti uxorem, quæ se propriâ auctoritate ab illo separavit, obijciatur impedimentum matrimonij dirimens, denegatur restitutio quoad totum, & prius cognosci debet de impedimento dirimente, quia agitur de peccato vitando. cap. Litteras; 13. h. t. de quo infra.

XXVIIII. Excipitur quartò. Si factâ restitutione spoliationis, irreparabile damnum, vel publicum scandalum, aut perturbatio in populo timeatur: tum enim spoliatus non est ante omnia restituendus, ut si agatur de restitutione uxoris viro favienti. cit. cap. Litteras. vel si Tyranno possessio ablata sit, vel si quis municillimo castro spoliatus sit: non enim est restituendus, quia sententia contra illum lata in Judicio petitorio, sine scandalis, & cædibus, executioni mandari, & castrum recuperari non possit. Menoch. cit. remed. 1. num. 308. & 309. & 119. Gail tract. de arrestis Imperij; cap. 12. num. 2. & 3. Ratio est, quia in his, & similibus casibus, posito, quòd spoliator probet, sibi dominium rei competere, modicum præjudicium spoliato infertur, dum ei possessio momentanea aufertur, seu, quam diu retinere non possit; siquidem mox in Judicio petitorio succumbet, eamque iterum amittet. Laym. de restit. spol. th. 4.

XXIX. Excipitur quintò. Si quis rem suam, aut sibi notoriè, ac indubitatè debitam, propriâ auctoritate, occupavit; quia eandem per viam juris, seu in Judicio consequi non potuit, sive ob potentiam adversarij, qui Judicem, seu Superiorem nullum recognoscit, vel admittit: sive ob defectum Judicis, qui, vel non vult, vel non potest justitiam administrare: hoc enim casu cogi quis non debet ad rem propriâ auctoritate occupatam spoliato restituendam; præsertim si sine suo damno restituere non possit: quia licet ipsi ipsi (per se loquendo, & cessante majore aliquo incommodo) jus dicere, si Judicis copiam quis non habeat, cujus auctoritate quod suum est, recipere possit: neque tum debitus ordo juris prætermittitur, aut pervertitur, cum is observari non possit: quæ est ratio, ob quam aliàs prohibendum est, rem suam, aut sibi notoriè debitam propriâ auctoritate occupare, secundum S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 5. ad 3. Gl. in l. Si alius; 7. §. Bellissimi. V. Ex magna, junct. Gl. margin. lit. C. ff. Quod vi, autiam Menoch. c. l. n. 312. Laym. c. l. thes. 5.

Prædictis addendum, spoliatus non est restituendus, si Canonicum obster impedimentum, cuiusmodi excommunicatio, à qua is non est absolutus: vel pactum de non petenda restitutione post sententiam: vel, si sententia sit lata contra spoliatum super proprietate; nam agenti possessorio obstat exceptio notorij defectus proprietatis: vel denique, si spoliatus sententiam nullam contra procuratorem revocatum latam, vi cujus possessione dejectus fuit, ratam habeat, cum tamen illam nullitatis arguere possit; ut in casu cap. Ex insinuatione; 3. de Procurat. & ibi Gl. V. Aliud Canonicum. & Abb. n. 7.

§. IV.

Qua probanda sint à spoliato agente ad restitutionem rei spoliata?

XXX. Assertio 1. Qui agit interdicto, de vi, sive recuperanda possessionis, duo probare debet, possessionem, & dejectionem, seu spoliationem, nempe, se possedisse rem immobilem tempore spoliationis; alioquin enim spoliari non potuisset, cum spoliatio supponat, rem possideri ab eo, qui illa spoliatur, sicut privatio habitum supponit: deinde probare debet, se spoliatum, sive possessione dejectum fuisse; ut constat ex l. 1. §. Interdictum autem. ff. de vi, & ex cap. Consultationibus; 10. junct. Gl. V. Possessionem, & dejectionem de offic. & potest. jud. deleg. Gl. in cap. Cum ad Sedem; 15. V. Dimisio possidisset. h. t. & ibid. Abb. num. 17. Covarr. in Reg. possessor. part. 2. §. 1. num. 4. Menoch. remed. 1. recuper. possess. num. 383. & seqq. Mascard. de probat. concl. 1321. num. 46. Gail lib. 1. obs. 129. num. 10. & alij DD. communiter. Quare, si reus conventus, sive spoliator probet, se possedisse eo tempore, quo actor allegit, se spoliatum esse, absolutus debet, cum actoris intentionem elusetur. Menoch. Remed. 1. recuper. poss. n. 207. Laym. de restit. spol. thes. 2.

Potest, sufficit, si actor, sive spoliatus presumptivè probet, ostendendo, se olim in possessione fuisse, si-
 ve ante illud tempus, quo spoliatum se esse, ait, pos-
 sessionem habuisse: nam, qui olim possedit, præsu-
 mitur possessionem continuasse usque ad tempus spo-
 liationis subsecutæ, & tunc adhuc possessionem ha-
 buisse: quia, qui semel possedit, semper censetur posse-
 disse, donec contrarium ostendatur. *cap. Olim; 17. h. t. & cap. Suborta; 21. de sent. & re judic. præ-*
ferim, si paulò antè spoliationem se possedisse, pro-
bet actor: quia intra modicum intervallum non
præsumitur intervenisse mutationem. l. Sive; 16. p. n. Gl. margin. litt. H. C. de probat. Abb. in cit. cap. Cum ad Sedem num. 17. & ibid. Inol. num. 15. Covarr. cit. l. num. 4. ubi ait, spoliandi facillimum esse hanc juris præsumptionem elidere per contra-
riam probationem, si spoliatus agens interdicto, vnde vi verè non possidebat tempore spoliationis. Nec obstat textus in cap. Cum Ecclesia; 3. supr. de caus. posses. & propr. Nam ex eo non probatur, ut quis sit in quasi possessione juris eligendi, necessarium esse, quòd tribus proximis electionibus interfuerit; neque etiam probari debet, quòd ultimæ; quia præsumitur continuata quasi possessio ex eo, quòd prioribus præsens fuerit, modò non constet, ultimæ electioni eum non interfuisse, cum commòdè posset. Covarr. c. 1.

Atque hinc infertur, quòd in causis profanis non requiritur, ut probetur titulus possessionis, cum etiam prædo in his restituendus sit. *cap. in literis; 5. hoc tit. Et satis est, si quis probet antiquiorem possessionem: tunc enim nova, seu posterior possessio præsumitur clandestina, & vitiosa. cap. Licet; 9. de probat. Cum duo in solidum simul possidere non possint. l. 3. §. Ex contrario; ff. de acquir. posses. Parisius l. 13. de resign. benef. q. 5. n. 93. & 95.*

Similiter in interdicto retinendæ possessionis, videlicet, si duo sibi possessionem vendicent, & uterque contendat, se possidere; ejus possessio præferenda est, quæ antiquior est; quia alterius possessio, qui postea possidere cepit, præsumitur vitiosa, videlicet vi, aut clanculum occupata. *Arg. cit. c. Licet; de probat. adeòque etiam in hoc interdicto olim possessor præsumitur hodiè quoque possessor; ut ex communi sententia docet Covarr. cit. §. 1. n. 4. Excipi debet, nisi posterior possessor, hoc casu, titulum possidendi exhibeat, vel alijs præsumptionibus possessionem suam justificet, quandoquidem una præsumptio aliâ majore præsumptione elidi potest. l. Divus; 7. ff. de restit. in integr. Laym. de restit. spol. thes. 2.*

XXXI. Assertio 2. Qui experiri vult interdicto, vnde vi, ad recuperandam possessionem, etiam si dicat, vel demonstrare paratus sit, se Dominum rei esse, sive jus proprietatis sibi competere, non tamen audiendus est, nisi probet, se rem possedisse, & spoliatum esse: non enim exinde colligitur possessio, cum fieri possit, ut quis jus in re habuerit, & tamen nunquam possessionem ejus nactus sit, & consequenter spoliari non potuerit. Idque sumitur ex *cap. Olim; 17. h. t. Nam ortà controversiâ inter Episcopum Parisiensem, ex una parte, & Abbatem quendam ex altera, super jure Parochiali, vel jurisdictione in Parochiam, Episcopus assererebat, se illius pos-*

sessione spoliatum esse, ideòque restitui petebat. »

Cùm autem id probare deberet Episcopus, qui se spoliatum dicebat, id solum allegavit, & probavit, quòd sententiam interdicti in illam Ecclesiam tulerit, & populus, timore ejusdem sententiæ, per aliquot dies à Divinis officijs abstinerit: per quod probatum, putabat, se fuisse in possessione jurisdictionis in Ecclesiam Parochialem. Sed Papa Innocentius III. respondit, ex eo solum nullam Episcopum possessionem juris Parochialis affecutum esse; cùm non probaverit, quòd vel eo tempore, quo ipse sententiam tulit, vel priusquam ea lata fuit, possessionem juris Parochialis habuerit: ideòque non posse ei de jure possessionem adjudicari; cùm non constiterit, nec probaverit, se possedisse, & spoliatum fuisse. »

XXXII. Notandum primò. Quamvis Episcopus de jure communi fundatam habeat intentionem super jurisdictione in omnes Parochias, & Ecclesias suæ Diocesis. *c. Cum venerabilis; 7. de relig. domib. nisi contrarium ostendatur: secus tamen est, quoad possessionem: ideòque, si agat interdicto, vnde vi, quia hoc ipso fatetur, se jam non possidere, pro ipso non stat præsumptio: sed probare debet, se antea possedisse, & spoliatum fuisse: nam possessio in facto consistit; ideòque ejus mutatio non præsumitur, sed probari debet: alioquin, etiamsi quis Dominus rei sit, sive jus habeat in re, succumbet in Judicio recuperandæ possessionis. Abb. hic num. 2. & 3.*

Similiter in interdicto retinendæ possessionis non sufficit, ut actor titulum probet; sed requiritur, ut probet, se tempore litis contestatæ possedisse. §. Quorum Instit. de interdict.

Notandum secundò. Licet Parochiani, ob metum, sententiam interdicti ab Episcopo lati observent; ut in casu hujus c. non idcirco inferri potest, acquisitam esse possessionem jurisdictionis in Parochiam Episcopo: tum quia potuit populus abstinere ab auditione Divinorum, non animo obediendi, sive se subjiciendi, sed ob aliam causam, v. g. ut deliberet, quid agere debeat, & interim Domino, seu Prælato, cujus jurisdictionem agnoscit, id significet, non enim gerit, se pro obediendo, qui animum obediendi non habet. *l. Pro herede; 20. in princ. ff. de acquir. hered. Gl. hic V. Timore, & Abb. n. 7. tum quia, etiamsi populus, animo se subjiciendi Episcopo, à Divinis abstinuisset, non tamen Abbas possessionem jurisdictionis in Parochiam perdidisset; quàm si postquam rem intellexit, acquiescisset, ac passus fuisset, ut subditi se alterius jurisdictioni subjicerent. Arg. l. Licet 4. & l. ult. C. de acquir. posses. vel si subditi eum, ejusque mandata spernerent, ac rejicerent, volentes se alterius jurisdictioni subjicere; tum enim Abbas possessionem jurisdictionis in Parochiam perderet. Abb. in cit. cap. Olim. num. 13. & 17.*

XXXIII. Ceterum DD. ex hoc c. communiter colligunt, Episcopum non acquirere quasi possessionem jurisdictionis, si subditi, timore censurarum, ipsi obtemperaverint, abstinentes per aliquot dies ab auditione Divinorum: & ad hunc textum respondent, Episcopum non potuisse acquirere quasi possessionem jurisdictionis, in præjudicium Abbatis, ex facto subditorum abstinentium à Divinis, metu censuræ: quia ipsi non posside-

rem suam, propriam auctorem juris, & ob potentiorum nullum defectum iustitiam adon debet ad spoliato restituitur non o, & cessante, si Judicis arbitrate quod vitus ordo juris observari prohibetum propriam auctorem. 2. 2. q. 66. Missim. 7. Ex ad vi, auctorem

non est restitutum, cum non est abspoliatio post tra spoliatum io obstat et del denique, si procuratorem dejectus fuit, titatis arguere 3. de Procure Abb. n. 7.

ato agen- ei

interdicto, vnde vi, probare do seu spoliatio- ilem tempore non potuisset, ab eo, qui illa ponit: deinde possessione dejectum autem. 10. p. n. Gl. & potest. iud. 7. Divinis pos- covarr. in Reg. 2. remedi. 13. ord. de probat. f. 129. num. 1, si reus con- diste eo tem- esse, absolvi tit. Menoch. it. spol. thes. 2. Porcò

sidebant jurisdictionem, sed Abbas: ideòque sine ejusdem scientia, & patientia, quasi possessio juris incorporalis acquiri non potuit, juxta l. 2. C. de servitut. Verùm, aliam responsionem, ac expositionem planiorem affert *Barb. in Collect. hic num. 4. & 5.* nempe, quòd per actum obedientiæ etiam per vim, ac metum extortum amittitur quasi possessio jurisdictionis, ad quam acquirendam unicus actus adequatus sufficit, qualis est ferre censuras, quibus subditi obtemperaverint: adeòque per actum quantumvis gravi metu extortum amittitur quasi possessio Jurisdictionis, & transfertur in metum inferentem; idque non tam invitis, quàm volentibus possessoribus, cum coacta voluntas sit voluntas, & quod metu fit, simpliciter sit voluntarium. l. *Mulier*; 21. §. *Si metu coactus*. ff. *Quod met. caus.* ideòque metu etiam gravi facta valida sunt, quamvis postea rescindi possint: quo posito, respondetur ad textum hujus c. in eo non negari, quòd per actum obedientiæ metu censurarum extortum acquiratur quasi possessio jurisdictionis Episcopalis, sed juris Parochialis; ut patet ex cit. cap. *Olim*; 17. ibi: *Super possessione Juris Parochialis in Parochia de monte*; & ibi: *nullam in eos Juris Parochialis possessionem* &c. quod in fine etiam repetitur: constat autem, diversa esse, jus Parochiale, & jus Episcopale. Ex quo ulterius infertur, quòd etiam per unicum actum solutionis, sive spontaneæ, sive metu censurarum extortum, acquiratur pensionario quasi possessio juris percipiendi pensionem; ut tradit *Barb. cit. l.*

Hac posterior expositio hujus c. videtur conformior, & magis congrua literæ textus, secundùm quam dicere oportet, quòd Episcopus per actum obedientiæ metu interdicti extortum acquisiverit quidem quasi possessionem jurisdictionis Episcopalis, non tamen possessionem juris parochialis, sive proprietatis in Parochia, in cujus quasi possessione erat Abbas, non autem Episcopus: ideòque non potuit contra Abbatem agere interdicto, unde vi, cum nunquam hoc jus Parochiale possederit; adeòque nec spoliatus fuerit.

§. V.

Qua à spoliatore, seu violento invasore restituenda sint spoliato?

XXXIV. Assertio I. Violentus spoliator, seu invalor rei alienæ restituere debet, non tantùm rem, unâ cum fructibus, etiam, qui percipi potuissent; sed insuper omnia damna resarcire, ac de injurijs integre satisfacere compellitur; prout constat ex c. *Gravis*; 11. h. t. Ubi habetur, quòd Archidiaconus quidam spoliavit, & violenter invasit Monasterium Dolense, eique alia gravia damna, & injurias intulit: ideòque Monachi conquesti sunt apud Papam Celestinum III. qui mandavit quibusdam Judicibus, ut, si rem ita se habere eis constiterit, Archidiaconum compellant ablata, & vi occupata integre restituere Monasterio, damna plene resarcire,

& de illatis injurijs competenter satisfacere: imò etiam provideant, ut non tantùm fructus à novo, & violento possessore percepti, sed etiam quos pristini possessores Monachi, si non fuissent spoliati, percepissent, eis reddantur.

XXXV. Pro declaratione hujus c. Notandum primò, Fructus dicuntur, qui de ductis necessarijs expensis, quæ sunt in quarendis, colligendis, & conservandis fructibus, superant, quas non tantùm bonæ fidei, sed etiam malæ fidei possessor, imò & prædo deducere potest. l. *Si Domino*; 36. & l. *Planè*; 38. ff. *de hered. petit.* & l. 1. C. *de fruct.* & lit. *expens.* Gl. *hic V. Fructus*. quia reditus, proventus, & obventiones lucrum denotant, ideòque intelliguntur, deductis expensis necessarijs. l. *Fructus*; 4. ff. *de oper. servor.* Gl. *hic V. Fructus*. Fructus autem sunt triplicis generis, alij naturales, quos natura, suâ sponte, sine ulla, vel solùm modicâ hominis industriâ producit, ut poma, pira, & similia. l. *Fructus*; 45. ff. *de usur.* & *fruct.* Alij industriales, in quibus comparandis magis operatur, & versatur industria, & labor hominum, quàm natura; ut omnes fructus, qui seminantur; item caseus, lana, & quæ ex aucupio, venatione, & piscatione obveniunt &c. Alij denique sunt fructus rei civiles, qui non proveniunt ex re ipsa, sed qui propter rem, hoc est, propter ulum rei, jure civili percipiuntur, ut sunt pensiones prædiorum, & domorum, uturæ, reditus navium, mercedes jumentorum, & operæ servorum, & aliæ hujusmodi obventiones, quæ verò, & propriè fructus non sunt, sed accessiones civiles vocantur, quia jure civili, imò & gentium sunt introductæ, ut sint loco fructuum, & eorum vicem obtineant. *Abb. in cit. c. Gravis. n. 3. h. t.* & *ibid. Berof. n. 9.* Verùm, Recentiores communiter dicunt, quòd fructus alij sunt rei, alij meræ industriæ, utlucrum, quod ex pecunia, vel vino, negotiando acquiritur: rursum fructus sunt alij mere naturales, quos natura producit, nullo, aut vix ullo concurrente labore; aut industriâ hominum, ut sunt fructus arborum, herbæ, gramina, & sætus animalium: alij sunt mixti, ad quos producendos æquè, vel magis industria, quàm natura operatur; ut sunt segetes, & alij fructus, qui ferendo gignuntur, & hi etiam simpliciter industriales vocantur. Et ad hos reducuntur fructus civiles; quia hominis industria in domibus, & alijs rebus locandis, & censibus constituendis veritatur, & operatur. *Sanch. l. 2. moral. c. 23. n. 48. & 53. Laym. l. 3. tr. 2. c. 3. n. 2.* Quòd si dubium sit, utrum natura, an verò industria plus in fructibus producendis operetur; adeòque, an naturales, an potius industriales appellandi sint, id Judicis arbitrio determinandum est. *Abb. in cit. c. Gravis. n. 3. Sanch. c. l. n. 49.*

Notandum secundò, Possessor alius est bonæ fidei, qui probabiliter ignorat, se alienum possidere, sed tanquam Dominus possidet: & alius malæ fidei possessor, qui scit rem, quam possidet, alienam esse, seu ad alium pertinere; vel etiam, qui scit, rem suam non esse; adeòque scire debuit, esse alienam. l. *fm. C. unde vi.* sed & is, cum quo super re, seu dominio rei lis fuit contestata; juris præsumptione malæ fidei possessor censetur. l. *Sed essi*; 25. §. *Si ante litem.* ff. *de petit. hered.* l. *Nemo*; 10. C. *de acquir. poss.* *Abb. in cit. c. Gravis. n. 15. & Berof. n. 17. & 19.*

XXXVI. No.

XXXVI. Notandum tertio. Sicut possessor bonæ fidei tenetur ad restituendam domino rem alienam penes se existentem, postquam cognovit, rem alienam esse, nisi bonâ fide eam alienavit, vel consumpsit; tunc enim non tenetur restituere, nisi quatenus inde locupletior factus est, sive ad eum ex re pervenit, *l. Item veniunt*; 20. §. *Præter hæc*; *Verf. Eos autem*; ff. *de hered. petit.* ita similiter fructus rei naturales, & mixti apud bonæ fidei possessorem adhuc existentes debent domino rei restitui, *l. Certum*; 22. *C. de rei vindic.* quia quævis res domino suo fructificat, deductis tamen expensis, & æstimatione laboris, *l. Si à domino*; 36. §. *ult. ff. eod.* Non autem tenetur fructus naturales, vel mixtos bonæ fidei possessor restituere, quos percipit, & bonâ fide consumpsit; nisi quatenus inde locupletior factus est, & patrimonium auctum est, *l. Si rem*; 22. *C. l. seq. l. Sed etsi*; 25. ff. *de petit. hered.* quia non debet aliquis, cum alterius jactura, locupletari, *Reg. jur.* 48. in 6. *C. l. Nam hoc*; 14. ff. *de condiç. indebit.* Sed neque bonæ fidei possessor tenetur restituere fructus rei naturales, vel mixtos, quos percipere potuisset, sed neglexit: cum enim ex ijs non sit factus ditior; non tenetur, ratione rei acceptæ; & cum non fuerit causa injusta damni domino obvenientis, nec violavit justitiam, non percipiendo fructus, quos potuisset; non tenetur etiam, ratione injuste acceptionis, *Less. l. 2. de justit. c. 14. n. 12.* Item fructus merè industriales, sive potius lucra acquisita negotiando pecuniâ, frumento, vel vino &c. ad bonæ fidei possessorem spectant; quia non sunt fructus rei in se; sed, prout subsunt industria hominis: adeoque ei, cuius industria proveniunt, acquiritur, *Molin. tom. 3. de justit. dis. 719. num. 4. C. dist. seq. num. 2.* Denique post litem contestatam, etiam bonæ fidei possessor, si in Judicio causâ cadat, omnes fructus extantes, & consumptos, perceptos, & percipiendos, quos percipere culpâ suâ intermisit, restituere cogitur, *cit. l. Certum*; 22. *C. de rei vindic. l. 1. C. de petit. hered.* quoniam post litem contestatam omnes incipiunt malæ fidei possessores esse: quin imò post controversiam motam; ut dicitur in *l. Sed etsi*; 25. §. *Si ante litem*; ff. *de hered. petit.* fructus verò perceptos, ante litem contestationem, restituere debet, quatenus exant, juxta *cit. l. Certum.* Verùm de hoc plura alibi.

Notandum quarto. Non tantùm violentus spoliator, sed etiam quilibet alius malæ fidei possessor, qui injustè rem alienam possidet, aut dolo, vel culpâ possidere desijt, videlicet injustè absumendo, vel alienando, domino restituere debet, non tantùm rem, & omnes fructus (exceptis merè industrialibus, qui non rem, ejusque dominum sequuntur, sed ad eum, qui industriam adhibuit, pertinent, ut supra dictum) quos percipit; sive adhuc extent, sive consumpti sint: sed etiam, quos spoliatus, vel pristinus possessor verisimiliter percipisset, vel percipere potuisset, nisi ei res injustè ablata fuisset; imò omne damnum rescarcire debet, cuius injusta causa fuit, juxta *cit. c. Gravis*; *h. r. C. l. ibi Gl. V. Fructus*; & de violento spoliatore etiam habetur in *l. 1. §. Qui vi*; *C. §. Ex die*; cum §. *seq. ff. Vnde vi*; & de quovis malæ fidei possessore statuitur in *l. Damnum*; 5. *C. de rei vindic. C. l. Fructus*; 33. *C. l. Si novis*; 62. ff. *eod.* Ratio est, quia fructus, aliaque accelliones, seu utilitates, quæ ex re aliena percipiuntur,

Tomus II.

non ad iniquum possessorem, sed ad dominum pertinent, deductâ tamen æstimatione laboris, ac industria: & restituere est in eum statum reponere, ac si læsio non contigisset, ita, ut quatenus quis læsus est, eatenus restitui debeat: adeoque omne damnum, & lucrum cessans ei restituendum est, cuius injusta causa fuit spoliator, vel alius malæ fidei possessor, *Mench. in præludis recup. poss. n. 6.*

XXVII. Notandum quinto. Aliud verò est dicendum de eo malæ fidei possessore, cui supervenit scientia rei alienæ, cum antea probabiliter ignoraret, rem alienam esse, & bonâ fide eam possideret: nam is aliud restituere non debet, nisi quod tempore acquisitionis possidet, & penes ipsum extat; aut quatenus ex re locupletior em se esse factum, agnoscit: præterquam, si per præscriptionem legitimè completam dominium rei acquisivit; tunc enim nihil omnino restituere debet; ut constat ex *l. Item veniunt*; 20. §. *Præter hæc*; *Verf. Eos autem*; ff. *de hered. petit.* ubi dicitur, eos, qui justas causas habuissent, quare bona (hereditatis) ad se pertinere existimassent, usque eo duntaxat, quò locupletiores ex ea re facti essent, cõdemnandos: ex quo *Gl. ibid. V. Facti essent*; colligit, nullam veriorum regulam in jure esse, quàm, quod possessor bonæ fidei ad id tantùm teneatur, quod ex re bonâ fide possessâ ad ipsum pervenit, *Molin. tom. 3. de justit. dis. 718. n. 1. C. 2. Laym. l. 3. tract. 2. c. 3. n. 1.* Hinc patet, quòd, cum possessor ab initio fuit bonæ fidei, sed postea factus est malæ fidei, pro eo tempore, quo fuit in bona fide, non tenetur fructus perceptos, & consumptos restituere, sed suos facit: pro eo verò tempore, quo cæpit esse in mala fide, tenetur, quia in his fructibus singula temporum momenta spectanda sunt, *l. Qui bonâ fide*; 23. §. 1. ff. *de acquir. rer. dom. C. l. Bonæ fidei*; 48. §. *In contrarium*; ff. *eod. Menoch. remed. 15. recup. poss. num. 592. C. n. 613. Sanch. l. 2. moral. c. 23. num. 152.*

Verùm sunt textus quidam juris, qui sibi invicem è diametro repugnare videntur, adeò, ut plures Jurisconsulti putent, eos conciliari non posse. Nam in *l. Qui bonâ fide*; 23. §. 1. *C. in l. 48. §. In contrarium*; ff. *de acquir. rer. dom.* dicitur, quòd, postquam cognovit quis, rem alienam esse, non amplius sit bonæ fidei possessor, nec fructus suos faciat. Contrà verò in *l. Qui scit*; 25. §. *ult. ff. de usur. C. fructib.* dicitur, quòd bonæ fidei possessor, quoad percipiendos fructus, intelligi debet, quàm diu fundus evictus non fuerit: adeoque etiam, postquam cognovit, rem esse alienam. Ad has leges probabilior est responsio, quam adfert *Sanch. cit. c. 23. n. 153.* quòd in prioribus legibus sit sermo de vera cognitione rei alienæ, quæ ad propriam possidentis conscientiam spectat, & per quam quis constituitur in vera bona, vel mala fide; nam, qui talem malam fidem habet, non facit fructus suos. At verò textus in *cit. l. Qui scit*; §. *ult.* loquitur de juridica, seu præsumpta mala fide: nam ex eo, quòd possessor cognoscit, rem in judicio à se peti tanquam alienam, & his ipsi denunciatur, non constituitur in vera mala fide; sed tunc tantùm, postquam res illa in judicio evicta fuerit: adeoque interim usque ad evictionem, sicut rem retinere; ita & fructus percipere potest; quia possidens rem bonâ fide non tenetur se illâ spoliare, donec vel verè cognoscat, eam esse alienam, vel in judicio vincatur: postquam verò res evicta

D d

est,

est, sicut rem restituere debet domino, ita nec fructus deinceps percipere potest, juxta *cit. l. Qui scit*: in prioribus vero legibus nulla de judicio fit mentio. Concordat responsio, quam ex Cujacio dat *Fachin. l. i. con- trov. c. 59*

XXVIII. Notandum sextò. Hinc patet, quòd violentus, & injustus possessor Judicis officio compelli debet ad restituendos fructus, unà cum re, & totum damnum, ac lucrum cessans compensandum, etiamsi actor non omnia hæc petierit; ut colligitur ex *cit. c. Gravis; h. t. & ibid. Abb. n. 19. & l. 1. §. Non solum; ff. De vi. Satisfactio* verò pro injuria non venit accessoriè, nisi petatur, *Arg. c. Querelam; 24. de elect.* In alijs verò judicijs fructus, ante litis contestationem, nominatim petendi sunt in libello, alioquin ad eos Judex condemnare non poterit, *l. Ediles; 15. §. Item sciendum; & l. Item si; 30. ff. de edilit. edict. Abb. c. l. quod similiter in expensis prestandis observari debet, l. Partem; 10. ff. de usuris.*

Notandum septimò. Permissum est spoliato agenti interdictò, *Vnde vi*, propter odium delinquentis, sive spoliatoris, & propter difficultatem probandi quantitatem damni; ut interesse, & damnum suum juramento (quod in litem vocatur) probet, accedente judicijs taxatione, *l. 2. ff. De in litem jurand. & l. Si quando; 9. C. Vnde vi.* Idque procedit, si agatur contra eum, qui dolo non deliquit, sed tantum in culpa est, v. g. contra dominum loci, qui ob vectigal, quod ipsi solvitur, consueta itinera tuta servare debet; tunc quantitas damni, non per juramentum, sed per legitimos testes probari debet, *juxta cit. l. 2. Abb. in c. ult. n. 5. supr. de iis, que vi met. caus. Gail. l. 2. obs. 64. n. 4. & 10. Laym. de restit. spol. thes. 43.*

XXXIX. Assertio 2. Spoliator, qui & ipse spoliatus fuit, non debet cogi ad restituendam rem, unà cum fructibus perceptis, si ob inopiam excusetur, ac proinde, nisi prius ipsemet restitutus fuerit; ut habeat, ex quo restituat; prout sumitur ex *c. Olim vobis; 16. h. t.* Nam Episcopus Ovetensis, cuius Episcopatum, & reditus omnes occupaverat Rex Legionensis, vicissim occupavit, ac detinuit partem aliquam Diocesis Episcopi Zamorensis (qui sunt Episcopatus in Hispania, *Gl. margin. hic*) Re delatà ad Papam Innocentium III. is mandavit quibusdam Judicibus; ut compellerent Episcopum Ovetensem ad restitutionem partis Diocesis Zamorensis, unà cum fructibus inde perceptis. Sed Ovetensis excepit, se, cum spoliatus fuerit à Rege, non posse restituere, nisi prius in Episcopatum suum restituatur. Quare Papa rescripsit, cum inanis sit actio, quam inopia debitoris excludit; ut dictus Episcopus non prius ad restitutionem fructuum perceptorum compellatur, quam ipsemet fuerit restitutus, ita, ut restituere possit, quod ex alienis proventibus percepit. Ratio est, quia generaliter, si debitor conventus actione personali, excipiat de inopia, licet processus, & sententia non suspendatur, dummodo sumptus necessarios ad litigandum habeat, *Arg. c. 1. h. t. suspenditur tamen executio sententiæ late de solutione faciendâ, ita, ut cogendus non sit ad plus, quam commode solvere possit (sine cessione bonorum, si Clericus sit) donec ad meliorem fortunam pervenerit, Virian. hic in Ration.* Idque colligitur ex hoc *c. in quo*

mandatur, Episcopum non debere compelli ad restitutionem fructuum; non autem dicitur, quod non debet compelli ad respondendum in judicio, *Abb. hic num. 6.* Aliud est, si quis conveniatur actione reali ad rem in specie extantem domino reddendam; tum enim ea statim restituatur debet; ut colligitur ex hoc *c.* ubi Ovetensis Episcopus partem Diocesis alienæ statim restituere debuit, & solum permissum illi fuit; ut restitutionem fructuum perceptorum differret, quia solvendo non erat, *Imola hic in princ.*

XL. Hinc colligitur præterea primò, propter inopiam debitoris, seu impotentiam ad solvendum, actio redditur inefficax in effectu, & differri debet, ita, ut non possit cogi ad restituendum, vel solvendum, donec fiat solvendo, *l. Nam is; 6. ff. de dolo, idque procedit, quando agitur civiliter ad privatum commodum partis: secus, si criminaliter ad publicam vindictam: tunc enim, si reus non sit solvendo, pœna pecuniaria commutatur in corporalem, l. fin. ff. de in jus vocando; Abb. hic n. 2.* Quòd si Clericus non sit solvendo, non potest conveniri, nisi in quantum commodè facere potest: si tamen conveniatur ex delicto, compellitur ad satisfaciendum, non habitâ ratione, ne egeat; quia habet hic locum, quod dicitur in *l. Bona fides; 31. ff. de pen. Male meritis publicè, ut exemplo alijs ad deterrenda maleficia sit, etiam egestate laborare debet, Abb. in c. Olim vobis, num. 4. h. t.*

Colligitur secundò. In casu huius *c.* Episcopus Ovetensis excusatur à restitutione fructuum perceptorum ex alieno Episcopatu, quem occupaverat, non ratione spoliationis; quia ipse prius, vel postea ab alio tertio, videlicet Rege spoliatus fuit suo Episcopatu: sed excusatur ratione impotentie, quia non poterat satisfacere, seu fructus restituere alteri Episcopo, donec ipse à Rege restitutus fuerat, qui Episcopatum suum tenebat: alioquin verò, si potuisset de proprio satisfacere, debuisset compelli ad satisfaciendum, non obstante, quòd per alium esset spoliatus; quia inconveniens est, ut quis excipiat de spoliatione à tertio facta, *Arg. l. Cum à te; 7. ff. de vi. ubi dicitur, interdictò, Vnde vi, contra primum deijcientem, non contra secundum, agi posse, licet primus à secundo sit dejectus, Hostiens. in cit. c. Olim nobis; V. Quod taliter; & V. Restitutus; h. t. ibid. Abb. num. 3.*

Colligitur tertio. Si Episcopus, vel alius Prælati contrahat debita, pro necessaria sua sustentatione, obligatur ad illa solvenda Ecclesia, *c. 1. de solution. & sumitur ex hoc c.* nam Episcopus Ovetensis sustentari debuit ex redditibus sui Episcopatus: cum ergo sustentatus fuerit ex redditibus alterius Episcopatus; ideo restitutio fieri debuit ex redditibus Episcopatus Ovetensis. Secus est, si Prælati debita contrahat, delinquendo, vel inutiliter absumendo bona, & reditus ipsius Episcopatus; tunc enim ea solvi non debent ex illis, quia delictum Prælati non debet in damnum Ecclesiæ redundare, *Reg. jur.*

76. in *c. Abb. hic num. 5. de quo alibi.*



§. VI. Quæ-

§. VI.

Quando, & quâ ratione spoliatus
agens interdicto recuperanda possessio-
nis, in causis beneficiis, vel aliis
spiritualibus restituendus sit?

XLI. Assertio 1. Spoliatus beneficio, si magna sit adversus eum præsumptio, quod sine titulo, aut cum titulo vitioso, Ecclesiasticum beneficium obtinuerit, restitui non debet, prorsusquam titulum institutionis suæ exhibeat, ac iustificet: quia periculum est, ne alioquin iterum detur vitiosus ingressus, seu intrusus in beneficium: & ita defendi potest communis praxis, de qua testatur *Menochius remed. 15. recup. possess. n. 458. & seq. n. 466. Mascard. vol. 3. de probat. conclus. 1322. n. 1. & 9.* quod spoliatus beneficio non restituatur à iudice, nisi prius titulum iustificet, & legitime probet, si sit præsumptio juris contra illum: alias verò saltem colore possessionem, sive putativum titulum alleget, ostendendo videlicet, se institutum esse ab eo, qui potestatem habebat: aut se tanto tempore, sciente, ac patiente Prælato, seu Superiore, in beneficii possessione fuisse: nam, licet adversarius cogere aliquem non possit; ut titulum beneficii se possessum ostendat, *Arg. l. Cogi; 11. C. de petit. hered.* ubi dicitur, cogi possessionem ab eo, qui experit titulum suæ possessionis dicere, incivile est: Superior tamen, seu Iudex ex officio ad id cogere potest *Menoch. c. l. num. 460.* si valde magna præsumptio sit contra possidentem, aut spoliatum; ut constat ex *Ex insinuatione. 3. junct. Gl. V. Probare potuerit; & procurator.* nam, quia ibi Archidiaconus de jure communi aliam præbandam, una cum Archidiaconatu, in Ecclesia habere non poterat, ideo probare debuit canonicam suam institutionem, scilicet secum dispensatum fuisse.

Quod si verò nulla adsit præsumptio contra Beneficiarium spoliatum, is ante omnia restituendus est, etiam si institutionis suæ titulum non iustificarit, aut colorarit, juxta *c. In literis. 5. h. t.* ubi indistinctè dicitur, prius esse agendum de violenta ejectione, seu spoliatione, quam de canonica institutione, nihilque dicitur de justificando titulo possessionis: imò in fine additur, quod etiam prædo sit restituendus, qui nullam justam causam, seu titulum possidendi habet: ergo multò magis is, de cuius possessione constat, licet non de titulo; idque etiam colligitur ex *c. Conquerentibus. 3. h. t.* ubi præcipitur, ante omnia, spoliatum possessione esse restituendum, & postea de proprietate cognoscendum: idemque aperte colligitur ex *cit. c. 3. de procuratoribus.* ubi etiam in causa beneficiaria spoliatus possessione prius restitui debet, quam titulum possessionis suæ exhibere, aut probare tenetur; dummodo notorium non sit, nullum titulum, seu jus beneficii possessori competere. Denique idem etiam colligitur ex *Clem. unic. de caus. poss. & propr.* ubi dicitur, in solo possessorio procedendum esse: non autem esset solum, & nudum possessorium, si in eo etiam probari deberet titulus, cum in possessorio sufficiat probare possessionem, & dejectionem, *Abb. in cit. c. In literis; n. 23.* Ratio est, quia Clericus potest habere possessionem beneficii, sine titulo, quandoque justam, quandoque injustam: ergo, cum Clericus sit capax possessio-

nis beneficii, & non debeat carere omni beneficio, *c. Clem. secundum; 16. de præbend.* in dubio præsumendum est, illum justè possidere beneficium, quod obtinet: adeoque non est necesse probare titulum possessionis, *Abb. c. l. n. 23. in fine.* Nec obstat, quod beneficium non potest obtineri licitè, sine canonica institutione, *Reg. 1. jur. in 6.* ergo, si quis possideat beneficium sine illa, illud injustè occupasse censeri debet.

Nam respondetur neg. cõseq. quamvis enim beneficium, sine institutione canonica, obtineri non possit, quoad proprietatem, ita, ut jus in eo acquiratur: potest tamen, absque illa, possideri beneficium, ita, ut, si pacificè per triennium bonâ fide possideatur, sine alio titulo, jus in eo, viâ præscriptionis, acquiratur; ut probabiliter docet *Less. l. 2. c. 6. n. 35. Sanch. l. 7. moral. c. 29. n. 89. & 91. Laym. l. 3. tract. 1. c. 8. n. 16.*

XLI. Assertio 2. Non solum in beneficiis, sed etiam in aliis causis spiritualibus, videlicet jure decimarum, jure eligendi &c. si jus commune restitatur spoliato, assistat verò spoliatori, non debet restitui spoliatus, nisi prius titulum ostenderit, vel saltem præsumptionem tituli; ut, quia longo tempore in pacifica possessione juris illius fuit; prout sumitur ex *c. Ad decimas; 2. h. t. in 6.* ubi habetur, quod Canonici S. Nicolai decimas ex prædiis in aliena parochia sitis aliquamdiu percipiebant, ac possidebant, quibus postea Parochus loci eos spoliavit, possessionem decimarum eisdem auferendo, & decimas illas percipiendo. Unde quaesitum fuit, utrùm Canonici illi quippe spoliati possessione decimarum restitui debeant? Respondit Papa Bonifacius VIII. nequam restituendos esse, nisi evidenter docuerint, se possessionem juris decimarum legitime assecutos esse; quia eas injustè occupasse verisimiliter præsumuntur, cum proveniant ex prædiis intra alienam parochiam constitutis: & manifestum sit de jure communi illas decimas ad Ecclesiam parochialem (intra quam prædia illa sita sunt) pertinere, nisi contrarium ostendatur. Ratio decisionis est, quia, licet alias spoliatus, ante omnia, restituendus sit, nec illi opponi possit exceptio dominij, seu proprietatis, *c. In literis. 5. h. t.* id tamen non procedit, quando contra spoliatum agentem interdicto recuperanda possessionis stat præsumptio juris, eique resistit, & jus favet, seu assistit spolianti; ut in casu hujus c. præsumptio juris communis erat contra Canonicos, quod injustè decimas occupassent, & possiderent; quia de jure communi decimæ prædiales spectant ad parochialem Ecclesiam: adeoque Parochus intentionem suam fundatam habet contra quemlibet possessorem alium decimarum; imò etiam ex propria confessione Canoniceorum, qui spoliati fuerant, constabat, quod decimas illas percipiebant ex prædiis alienæ Parochiæ; & consequenter jus decimarum non ad se, sed ad Parochum pertinere: ideoque Canonici restitui non debuerunt, nisi probarent titulum justum possessionis suæ, vel nisi saltem tituli præsumptionem ostenderent, videlicet, se longo tempore decimas illas possedisse: quia possessio longi temporis, præsertim immemorialis, habet vim tituli: quo casu etiam absque titulo restitutio spoliati fieri debet; quia præsumptio illa juris, quæ stat contra spoliatorem, & pro spoliante, potest per contrariam præsumptionem tolli, vel saltè infirmari; ut tali casu rationabiliter dubitari possit, ad quem

ad quem de jure decimæ spectent, in dubio verò spoliatus favorabilioris conditionis esse debet in ordine ad possessionem recuperandam, *Abb. in cit. c. In literis; n. 24. h. t. & in c. 3. n. 52. de caus. poss. & propr. Franc. in c. 2. n. 3. & n. 8. limit. 4. h. t. in 6. Laym de restit. spol. thes. 9.*

XLIII. Hinc colligitur primò. Quando constat, rem aliquam intra fines alicuius parochiæ existere, hoc ipso præsumitur, quoad jura parochialis, ad eandem Ecclesiam pertinere: sicut etiam omnia, quæ sunt sita intra Dioecesim Episcopi, præsumuntur ad eiusdem jurisdictionem pertinere, *Anchar. in cit. c. 2. not. 5. h. t. Franc. ibid. n. 4.* Quòd si verò Episcopus petat sibi restitui Ecclesias in alterius Dioecesi constitutas, non sufficit probare, se antea possedisse, & spoliatum fuisse; sed requiritur, ut titulum exhibeat, vel saltem tituli præsumptionem; quia Ius commune illi resistit, *Laym. c. l.*

Colligitur secundò. Quamvis Ecclesia, etiam non parochialis, sit capax juris decimarum, non tamen potest eas percipere, vel possidere, nisi habeat legitimum titulum, videlicet concessionis Episcopi, cum consensu Capituli, vel legitime præscriptionis per 40. annos, *c. De quarta; 4. de præscription. Auth. Quas actiones; C. de SS. Ecclesi. vel privilegii Apostolici. Gl. magna in cit. c. 2. not. 1. & V. Aliud; h. t. in 6.*

Colligitur tertio. Si Clerici alicuius Ecclesiæ Collegiatæ, aut Conventualis semel, aut iterum Episcopum elegerint, sine Capitularibus Canonicis, ac postea iterum, vacante Sede Episcopali, eligere vellent Episcopum; attamen Canonici Ecclesiæ Cathedralis eos ad electionem non admitterent, sed ipsi exclusis, Episcopum eligerent: hoc casu, Clerici agentes interdicto recuperandæ possessionis à Canonicis repellentur, nisi Clerici titulum, seu legitimam concessionem, vel possessionem temporis immemorialis, quæ est instar tituli, suppositâ capacitate in possidente, vel aliam præsumptionem, seu coloratam possessionem, cum bona fide, ostendere possint, *iuxta decisionem cit. c. 2. h. t. in 6. Laym. ibid.*

XLIV. Sed contra decisionem huius c. 2. obstare videtur *text. in c. Cum Ecclesia; 3. supra de caus. poss. & propr.* ubi decernitur, ut Clerici Ecclesiæ Conventualis, seu Collegiatæ spoliati à Canonicis Ecclesiæ Cathedralis jure eligendi Episcopum, restituantur in possessionem, etiam si nullum allegaverint, vel probaverint titulum: & tamen Clericis spoliatis, volentibus interesse electionibus Episcopi, non tantum resistebat, & adversabatur Ius commune, sed etiam expressè assistebat, & favebat Canonicis spoliatis Clericos; quippe ad quos solos de Iure communi electio spectabat, Resp. plures rationes discriminis inter utrumque casum assignari posse. Nam primò, quia Clerici extranei, scientibus, & patientibus Canonicis, qui hanc eligendi facultatem concedere poterant, ad tres præcedentes Episcoporum electiones admissi fuerunt, ideo pro illis stabat præsumptio, quòd bonâ fide in possessione juris eligendi existant. At verò in casu c. 2. h. t. in 6. pro Canonicis S. Nicolai nulla aderat præsumptio, quòd bona fide decimas possiderent, sed potius, quòd iniuste illas occuparint, ut ibid. dicitur: nam, licet, parochio sciente, ac patiente, eas aliquamdiu percepissent ex prædijs suæ parochiæ, id tamen nihil suffra-

gatur possessioni eorum, cum parochus jus decimarum non possit alteri donare, vel concedere. Deinde, quamvis Ius Canonicum resistat, si Clerici extranei Prælatum eligant, exclusis Canonicis Capitularibus, non tamen resistit, aut prohibet, quòd minus extranei Clerici, simul cum Capitularibus patientibus, vel id concedentibus, electionem faciant, ut supra dictum: denique in priore c. Clerici erant in longa, & diuturna possessione juris eligendi: in posteriore tantum modò eo tempore possidebant decimas: præsumptio autem bonæ fidei est pro possessione antiqua, *Io. Andr. in cit. c. 2. propè finem. & ibid. Franc. n. 8. Inola in cit. c. Cum Ecclesia; n. 25. Abb. n. 49. & 50.*

XLV. Obstare præterea videntur plures alij Canones contra decisionem dicti c. 2. in 6. Veluti primò, c. Licet; 28. de præbend. in 6. ex quo constat, quòd habens duas Ecclesias parochiales, si priore per Episcopum spoliatur, statim restitui debeat, & si non ostendat titulum, aut dispensationem, vi cuius plures parochiales Ecclesias simul retinere possit, licet hoc casu jus commune spoliato resistat, & assistat Episcopo spoliati, ad quem de jure communi pertinet collatio Ecclesiarum vacantium. Contrà verò in cit. c. 1. h. t. in 6. statuitur, spoliatum decimis non esse restituendum, quia illas tenebat contra Ius commune. Dupliciter responderi potest. Primò, in illo c. tantum dici, possessorem duarum Ecclesiarum, vel beneficiorum incompatibilium non esse spoliandum; quia fortè poterat ei aliquid jus competere simul retinendi utrumque, eò quòd cum illo dispensatum sit *Gl. ibid. V. Retinendi*; non tamen inde sequitur, illum spoliatum esse restituendum, cum ipsi resistat Ius commune prohibens, ne quis plures Ecclesias vel beneficia incompatibilia simul obtineat, & faveat Episcopo spoliati: adeòque habet hic locum dispositio *cit. c. 2. in 6. h. t.* quòd talis non sit restituendus, nisi titulum possessionis suæ iustificare possit, vel saltem ostendere dispensationem obtentam, *Menoch. re-med. 15. recap. poss. n. 467. & seq. Beronius in c. In literis; 5. n. 87. h. t. Navarr. in c. Acceptis; 3. oppositi. 10. n. 1. & 2. ubi ait, ex cit. c. Licet; non probat, restituendum esse, ante omnia, eum, qui post adeptionem secundi beneficii incompatibilis, spoliatur priore, sed solum ibi dici, Episcopum non debere Beneficiarium non auditum, nec vocatum spoliare possessione talis beneficii: ex quo non inferitur, eum ante omnia esse restituendum: quare in cit. c. Licet; agitur solum de non spoliando, in c. Verò; 2. h. t. in 6. de iam spoliato non restituendo. Et hanc responsionem ad cit. c. Licet; se bis in publica disputatione dedisse refert *Navarr. c. l.**

Alij verò respondent, quòd in cit. c. Licet; statuat, non solum peccare, & malè facere Episcopum, si aliquem spoliatur, seu prius possessione prioris beneficii curati, obtento secundo simili, eo non citato, nec audito, sed eum etiam restituendum esse; & hunc esse verum, ac genuinum sensum *cit. c. Licet; ait Navarr. c. l. n. 12.* quia nemini possessio sua auferenda est, & transferenda in alium, nisi ipso possessore prius vocato, & discussio jure ipsius possidentis: alioquin ante omnia restituendus erit, & spoliato adversus spoliantem competet interdictum, *Unde vi, Arg. c. Conquerentes; 7. h. t. ubi iniuste spoliatus à Iudice restituitur per interdictum, Unde vi, quod conceditur contra Iudicem spoli-*

antem,
autem c
restitu
esse, pro
liatus p
est restit
aliis cas
Abb. in c

Ne
qui simu
compati
163; 28.
in casu
sibi obit
quo poss
vacans c
Episcopo
lato, q
onæ fun
assitit E
in casu
tis, & fa
dispositi
iuxta que
lian. in c

XI
Confitut
spoliatus
immediat
lum bene
communi
legimus
quamvis
lanti. Ro
um restit
possessor
ca sine ju
verbis, ca
io judici
tantum a
petat, sta
seu propri
c. Confitut
n. 24. &
15. & di

Ter
by, ubi c
immediat
rentum,
causæ co
tuendos,
ille restit
quia not
rentes cor
in notorij
que debu
illi, qui l
Præsumit

XI
spoliatum
lio jure sp
possession
male à P
elles ut d

antem, sicut contra quemcunque privatum: cum autem conset, spoliatum beneficio à privato statim restituendum esse, antequam se canonicè institutum esse, probet, *cit. c. In litteris; h. t.* ideo similiter spoliatus ab Episcopo, prætermisso juris ordine, statim est restituendus, *iuxta cit. c. Licet; Franc. ibid. n. 3.* aliàs daretur occasio illicitè spoliandi possessorem, *Abb. in cit. c. In litteris; n. 24. Navarr. c. l. n. 6. & 9.*

Nec obstat, quòd Ius commune resistat ei, qui simul obinet duas Ecclesias, vel beneficia incomparabilia; nam, etsi id verum sit, *iuxta c. De multis; 28. de præbend. non tamen idem Ius commune in casu cit. c. Licet; assistit Episcopo spoliati quoad sibi obtinendum, vel ad retinendum beneficium, quo possessorem spoliavit; sed tantum, ut hoc alteri vacans conferre possit: quare Ius commune assistit Episcopo quoad isolam collationem; resistit verò spoliato, quoad acquisitionem, & retentionem illius, quæ sunt diversa: ac proinde, cum Ius commune non assistat Episcopo spoliati in casu cit. c. Licet; tamen in casu cit. c. 2. h. t. in 6. resistit Canonicis spoliatis, & favet Parocho spoliati: idcirco standum est dispositioni, *c. In litteris; 5. c. Conquerentes; 7. h. t.* iuxta quam spoliatus est restituendus, *Barb. in Collection. in cit. c. 2. n. 10. h. t. in 6.**

XLVI. Secundò, obstat etiam *text. in c. Constitutus; 8. de filijs presbyr.* ubi filius presbyteri spoliatus Capellà quadam à milite, in qua pater eius immediatè antea ministraverat, cogitur probare titulum beneficii, antequam restituatur, eò quòd Ius commune ei resistebat, secundum quod filius etiam legitimus non potest immediatè succedere patri: quamvis idem Ius commune non assisteret militi spoliato. Resp. spoliatum beneficio ibi non fuisse statim restitutum, quia spoliatus simul agebat iudicio possessorio; ut colligitur ex illis verbis, *miles ipsum eà sine iudicio spoliavit: & petitorio; ut patet ex illis verbis, canonicè fuisse adeptus, & ita utrumque fuit in iudicium deductum: alioquin verò, si deicidus tantum agat possessorio, & restitutionem simpliciter petat, statim restitui debet, & postea agi de titulo, seu proprietate, iuxta cit. c. In litteris; h. t. Gl. in cit. c. Constitutus; 7. Eiectus; Abb. in cit. c. In litteris; n. 24. & Berouin. ibid. n. 87. limit. 6. Navarr. c. l. n. 15. & dictum supra l. 1. tit. 17. n. 43.*

Tertio, obijcit *c. Quoniam; 10. de filijs presbyr.* ubi deciditur, si manifestum sit, filios Clericos immediatè successisse in Ecclesijs, vel beneficijs parentum, per Episcopum removendos esse, absque cause cognitione: adeoque nec spoliatos esse restituendos. Resp. ibi filios spoliatos beneficijs non fuisse restituendos, etsi nec citati, nec auditi fuerint: quia notorium erat, eos obtinere Ecclesias, quas parentes eorum immediatè antè in titulum habuerunt; in notorijs autem non est servandus ordo juris; neque debuerunt illi restitui, cum non sint restituendi illi, qui legitimè à iudice spoliantur, *Gl. fin. in c. Presentium; 3. caus. 7. q. 1. Barb. in cit. c. 2. n. 10.*

XLVII. Assertio 3. Si laicus conqueratur, se spoliatum esse beneficio, decimis clericalibus, vel alio jure spirituali, non debet restitui, nisi titulum possessionis justificet, sive probet, eiusmodi jus spirituale à Prælo Ecclesiastico sibi legitimè concessum esse; ut docet *Gl. Communiter recepta; in cit. c. 2. P.*

Presumuntur h. t. in 6. Abb. in cit. c. In litteris; n. 24. h. t. Ratio est, quia spoliatus non restituitur, nisi probet, se possedisse; id autem laicus in hoc casu probare non potest, nisi exhibito titulo; nam possessio jurium spiritualium in laico, quippe eorum alioquin incapace, habet involutum titulum, id est, cui admixta est causa proprietatis, ita, ut laicus jus beneficii, decimarum, aliàve spirituale, sine titulo, seu legitima concessione Prælati Ecclesiastici, possidere non possit, sed de facto solum detineat, sicut tradit *Gl. in c. Ex parte; 14. V. Commodo destituta; h. t. & Abb. ibid. n. 19.* quare laicus spoliatus restitui non debet, nisi prius titulum possessionis justificet, vel saltem coloret, quia in iudicio recuperandæ possessionis non requiritur exacta probatio tituli, sed sufficit *levis, Mascard. de probat. concl. 1322. n. 1.* cum contra restitutum agi possit postea iudicio petitorio. Quia imò probabile est, sufficere, si laicus tali casu ostendat, se, & antecessores suos immemoriali tempore in pacifica possessione juris decimarum v. g. fuisse: nam tempus immemorabile inducit præsumptionem tituli, donec contrarium ostendatur, ita, ut laicus tanto tempore in pacifica possessione decimarum existens ad restitutionem illarum compelli non possit, quamvis in veritate jus, ac titulum, propter temporis immemorialis lapsum, non acquirat, sed jure decimarum omnino privandus sit, si postea constet legitimam possessionem non præcessisse, ut, quia jus illud percipiendi decimas à Parocho ante annos 200. v. g. simoniacè, ac invalidè esse venditum laico, ex authenticis litteris deprehenditur: nam sine possessione præscriptio non procedit, *Reg. jur. 3. in 6.* laicus autem, sine legitima concessione Prælati Ecclesiastici, decimas Clericales possidere non potest, sed tantum de facto detinere, *c. Causam; 7. de præscript. errorum autem persuasio, aut præsumptio orta ex temporis diuturnitate jus, aut titulum tribuere non potest, licet bonam fidem fortè inducere possit, Felin. in c. Accedentes; 11. n. 6. de præscript. Laym. de restit. spoliat. the. 10.*

§. VII.

An is, qui renunciavit beneficio, post, vel ante spoliationem, petere possit restitutionem, & restitui debeat?

XLVIII. Assertio 1. Si quis spoliatus sit Ecclesià, vel beneficio, & postea renunciaverit illi, spoliatus restituendus est, non obstante exceptione factæ renunciationis, & priusquam de illa cognoscatur; prout sumitur ex *c. Sollicitè; 2. h. t.* ubi Papa Alexander III. rescribit Episcopo Vigoriensi, ut inquirat, quo tempore Henricus Clericus renunciavit suæ Ecclesiæ parochiali, & si ipsi confiterit, eum spoliatum fuisse, cum eidem Ecclesiæ renunciavit (sive ante factam renunciationem) testes adversæ partis super juramento, & renunciatione sponte factâ, non admittat, priusquam restitutus fuerit: quia non est verisimile, Henricum sponte renunciâse juri, seu beneficio suo, qui renunciavit spolia-

» tus. At verò testes ab ipso Henrico recipiat, dummodo idonei sint, per quos probare intendit, quòd » violenter dicta Ecclesià fuerit spoliatus.

X L I X. Ex hoc c. colligunt communiter DD. quòd resignatio beneficij facta post spoliationem sit invalida, vel saltem rescindi possit, perinde, ac si ab initio invalida fuisset. Idque tum ob rationem allatam in textu, quia præsuntur, quòd non sponte, sed invitatus, & coactus renunciaverit, qui renunciat spoliatus; quæ est præsumptio juris, & de jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium, *Gl. h. c. v. Eum spoliatum.* cum ergo talis renunciatio non sit spontanea, ac libera, sequitur, non esse validam, vel saltem rescindendam esse, & spoliatum restituendum; cum resignatio debeat fieri liberè, & voluntariè, non coactè, & ex metu, c. *Admonet*; 4. de *renunc. Paris. lib. 13. de resign. benef. 9. §. n. 2. & seqq.* Tum quia renunciatio facta post spoliationem respicit proprietatem, non possessionem; quia spoliatus illam retinet, non autem possessionem, cum illa sit spoliatus; adeòque per huiusmodi resignationem non fuit renunciatum possessioni, quippe quam non habebat amplius, illo tempore: & consequenter non potest agenti interdicto recuperanda possessionis obijci exceptio renunciationis factæ post spoliationem, *Abb. in cit. c. 2. n. 8. in 4. solut. h. t. Paris. c. l. n. 7.* Tum denique, quia ita renuncians beneficio post spoliationem, non absolute amittit jus proprietatis in beneficio, sed dependenter à ratificatione Superioris, iuxta c. *Admonet*; 4. de *renunc.* ergo prius restitui debet, quam de valore renunciationis agatur.

Non obstat, quòd spoliatus, qui postea renunciat beneficio, non sit restituendus, quia censetur rem habere pro derelicto: idèoque possessionem, & dominium per eam amittit, l. *Si quis*; 17. §. *Differentia*; ff. de *acquir. poss.* ubi dicitur: Possessio recedit, ut quisque constituit nolle possidere, *in c. l. 1. & 2. ff. pro derelicto*: nam hoc procedit, quando sponte sit renunciatio, & constat eam liberè, ac sine metu esse factam; secus, si vi, vel metu; ut in *cit. c. 2. h. t. Menoch. remed. 1. recup. poss. n. 270. & 271. Paris. c. l. n. 12. & 13.* Neque verò per renunciationem subsequitam purgatur vitium spoliationis, ita, ut non sit amplius locus restitutioni, cum eam ratam habuisse videatur *Arg. l. 2. C. Quod metus caus.* quia ille textus loquitur de vi compulsiva per metum, in qua ab initio consensus intervenit, licet coactus, iuxta *Gl. in l. Si mulier*; 21. §. *penult.* & *ibi Gl. V. Volui*; ff. *quod met. caus.* in vi autem expulsiua nullus adest consensus, per quem possit purgari vitium spoliationis, *Menoch. cit. remed. 1. n. 268. & seq. Paris. c. l. n. 14. & 15.*

Porro, quòd dictum, renunciationem beneficij post spoliationem factam esse invalidam, vel rescindendam, id procedit, non solum in simplici renunciatione, sed etiam in ea, quæ fuit facta, addito juramento: nam eo non obstante, restituendus est spoliatus; ut colligitur ex *cit. c. 2. ibi: de juramento h. t.* & ratio est, quia tale juramentum censetur vi, metu, vel dolo præstitum, & extortum, cum sequatur naturam actus, super quo interponitur, l. *ult. C. de non numer. pecun. Paris. cit. q. 5. n. 16. & 17.*

L. Limitatur autem primò, Si renunciatio

beneficij, post spoliationem, fiat coram Iudice competente, qui de ea causa cognoscit; tum valida est resignatio: nec spoliatus restitui debet; tum quia illa præsuntur spontanea, & legitima auctoritas Iudicis, tollit omnem suspensionem violentiæ, vel metus; adeòque spoliato petenti restitutionem obstat auctoritas Iudicis, pro quo præsuntur, quòd iuste faciat, quæ illi ex officio incumbunt, nisi actor probaverit iniustitiam: tum quia, cum constat, spoliatum non habere jus proprietatis in beneficio, ob validam eius resignationem, non debet ipsi restitui beneficium, obstantè notorio defectu proprietatis: & hinc in *cit. c. 2.* nulla fit mentio, quòd renunciatio beneficij facta sit coram superiore, sicut in *c. seq. de quo infra, Abb. in cit. c. 2. n. 10. h. t. Rebuff. in praxi benef. tit. de vi in resignat. adhibet. n. 4. Parisius cit. q. 5. n. 22. & seqq. Acq. p. 2. l. 7. c. 26. q. 7.* licet dissentiat *Menoch. cit. remed. 1. n. 276.* Quòd si renunciatio beneficij, post spoliationem, fiat in manibus non superioris, non valet talis renunciatio, & per illam nec proprietatem, nec possessionem amittit renuncians; præsuntur enim non spontaneè, sed coactè renunciasse, *Abb. c. l. Nec obstat, quòd renunciatio beneficij facta in manibus non superioris non tenet, quia id verum est, si facta sit in manibus laici. c. Quod in dubijs, 8. de renunc. secus, si in manibus Clerici non superioris: tunc enim tenet, in præjudicium renunciantis, non autem legitimi superioris, Abb. c. l. & Berol. ibid. n. 34.*

Limitatur secundò. Si certò constat, spoliatum sponte, absque vi, aut metu, renunciasse beneficio, valida est resignatio, etiam post spoliationem facta, neque restituendus est renuncians; ut ex communi sententia docet *Paris. c. l. n. 28. & seqq. Acq. c. l.* idque aperte colligitur ex *cit. c. 2. h. t.* ubi Pontifex ait, non esse verisimile, aliquem sponte renunciare, postquam spoliatus fuit: ergo à contrario sensu, si constat de spontanea renuntiatione, cessat hæc præsumptio; veritas enim præferenda est fictioni, aut præsumptioni: quamvis contrarium aliquando in Rota resolutum fuisse refert *Paris. c. l. n. 33.* quia semper videtur facta renunciatio ob causam, quæ præcesserat: attamen, quotiescunque dubitatur, an spoliatus cesserit sponte beneficio, necne, in iudicio præsuntur invitatus celsisse, *Paris. c. l. n. 36. Acq. c. l.*

L I. Limitatur tertio. Siquis, antequam spoliaretur, constituit procuratorem ad resignandum beneficium; qui post spoliationem nomine domini renunciavit, valida est resignatio, & renuncians restitui non debet; nam, cum sponte constituit procuratorem, ante spoliationem, resignatio post illam secuta voluntariè facta præsuntur, eò quòd retro trahatur ad tempus dati mandati, & sic cessat ratio *cit. c. 2. h. t.* propter quam irritatur resignatio post spoliationem facta; & consequenter etiam cessat depositio. Item, quia tunc, cum constituit procuratorem ad resignandum, videtur resignans habere beneficium pro derelicto, secuta renuntiatione, sicuti, cum quis constituit procuratorem ad adeundam hereditatem, statim eam adire videtur, l. *Per Curatorem*; 90. alias incipit: *Per procuratorem*; ff. de *acquir. hered. Abb. in cit. c. 2. n. 11. h. t. Menoch. remed. 1. recup. poss. n. 272. Paris. c. l. n. 37. & seqq. Acq. c. l.*

Limitatur

Limitatur quartò. Si Clericus beneficio spoliatus, post longum temporis intervallum, illud resignat, nihil conquirendo de spoliatione, tum rata, & firma est resignatio, ita, ut non concedatur spoliato restitutio; quia verisimiliter creditur, eum ratum habere sponte, ac sine metu, quod gestum est, & sic resignationem fuisse spontaneam, non coactam: cum enim nemo presumatur velle jactare rem suam, utique conquireretur, si metu fuisset inductus ad resignandum, *Menoch. cit. remed. 1. n. 278. Paris. c. l. n. 41. Aror. c. l.*

LIII. Limitatur quintò. Si spoliatus non tantum juri beneficii, sed interdico possessorio renunciât presentibus amicis suis, seu, cum talibus circumstantiis, ut prescriptio metus absit, *Arg. l. Transactionem; 35. junct. Gl. V. Interveniens; C. de transact. Vel etiam, si spoliatus post spoliationem pacificatur cum spoliatore, se non acturum judicio possessorio, Unde vi contra illum, ut restituatur, tenet tale pactum, nec spoliatus restitui debet, *Abb. in cit. c. 2. n. 16. h. t. Berouus ibid. n. 44. Rebuff. cit. tit. De vi, in resign. adhib. n. 7. Menoch. cit. remed. 1. n. 281. & seq. Paris. cit. q. 5. num. 48. & seq.* licet etiam post furtum, valet pactum, ne furti agatur, & ne illud restituatur, *l. Si unus; 27. §. Pacta; ff. de pact. Ratio est, quia tale pactum solum fit circa rem familiarem, ac privatam, ideòque non dicitur esse contra bonos mores, nec lædere rempublicam, *l. Invenientium. 7. §. Si paciscar; ff. eod. idemque est in pacto de non molestando possessorem, sive molestiâ juris, sive facti, Menoch. c. l. n. 283. & seq. Paris. c. l. n. 49. & duob. seqq. & n. 58. Secus est, si causa spoliij sit publica, v. g. Ecclesiæ; Berouus in cit. c. 2. n. 45. Menoch. cit. remed. 1. num. 86. quia pactis privatorum juri publico derogari non potest, *l. Jus; 38. ff. de pact.* quando autem agitur de re, quæ principaliter non ad Clericum, seu beneficiarium, sed ad Ecclesiâ pertinet, ea publica censeri debet, secundum *Gl. Receptam; in c. 3. caus. 23. q. 4. V. De publica.* Quòd si verò quis, ante factam spoliationem, pacificatur, se non acturum judicio possessorio, si spoliatus fuerit, eiusmodi pactum est ipso jure irritum, sive fiat in causa publica, sive privata, eoque non obstante, restituendus est spoliatus; quia tale pactum est contra bonos mores naturales, præbèque ansam delinquendi, & lædit publicam utilitatem, cuius interest, delicta non manere impunita, *l. Ita vulneratus; §. 1. in fine. ff. Ad leg. aquil. Abb. c. l. Menoch. c. l. n. 296. Paris. c. l. n. 61. & seqq. Laym. de restit. spol. ib. 22.****

Similiter juramentum præstitum de non agendo contra spoliatorem, ante spoliationem, irritum est, nec servandum, cum cedat in dispendium salutis æternæ: præstitum verò post spoliationem valet, ita, ut spoliatus agere non possit; quia, cum sine peccato servari tale juramentum possit, consequenter etiam debet: nec delictum hoc casu mauebit impunitum, cum pœna publica, quæ jure statuta est, per juramentum non sit sublata, *Abb. c. l. n. 16. Menoch. c. l. n. 287. & duob. seqq. Paris. c. l. n. 52. & 53.*

Et hinc patet differentia, quæ est inter renunciationem, & inter pactum, ac juramentum post spoliationem præstitum: quia renunciatio post spoliationem facta concernit jus proprietatis, non possessionis: pactum verò de non agendo, vel non molestando, sicut & juramentum, concernit ipsam possessionem, *Abb. in cit. c. 2. num. ult. Paris. c. l. num. 53.*

Nec obstat *cit. c. 2.* ubi dicitur, renunciationem, & juramentum post spoliationem editum pari passu procedere: sicut ergo renunciatio ibi per metum facta dicitur, ita & juramentum: ergo saltem quoad restitutionem spoliati impediendam servari non debet. Nam respondetur, magnam adhuc esse differentiam inter pactum, & juramentum metu extortum: nam hoc in eo casu adhuc servandum est, nisi per absolutionem remittatur, quod in pacto locum non habet, *Menoch. c. l. n. 294. Paris. c. l. n. 53. & 57.*

Limitant textò aliqui, quòd resignans beneficium post spoliationem, in favorem non eius, à quo spoliatus fuit, sed alicuius tertij, non sit restituendus: quia per renunciationem abdicavit à se dominium, seu proprietatem, & tunc cessat ratio *cit. c. 2. h. t.* ut docent nonnulli apud *Paris. cit. q. 5. n. 67. & 68.* sed sententia affirmativa est verior, & communis; ut tradit *Paris. c. l. num. 69. & 70.* nempe, quòd resignans in favorem tertij, post spoliationem, sit restituendus: quia, licet cesset jus dominij, seu proprietatis, non tamen actionem spoliij, quæ post renunciationem etiam spontaneam adhuc spoliato competit, & durat, & juxta stylum Rotæ nunquam censetur esse cessa, nisi id exprimitur. Et licet per renunciationem abdicetur jus, seu proprietas beneficii, remanet tamen actio spoliij: adeòque, et si cesset ratio, *cit. c. 2. h. t.* quod non sit verisimile, sponte renunciâsse eum, qui tenet spoliatus: habet tamen adhuc locum ratio ista, quòd non censetur renunciatum actioni spoliij. Nec obstat, quòd non detineat amplius beneficium, cum tamen restituitur detur vi detentionis: Nam habet saltem actionem, quam qui habet, rem ipsam habere censetur, *Paris. c. l. n. 70. & 71.* ubi id limitat, nisi resignans in favorem tertij, post spoliationem, cedat etiam actionem spoliij; tunc enim non poterit agere contra eum actione spoliij, nec debet restitui: vel, si ex aliqua causa renunciavit: vel denique, nisi spoliatus subrogatus sit in locum resignatarij, non solum quoad possessionem, sed etiam quoad actionem spoliij, ita, ut in subrogatione expressè fiat mentio de spolio, *Paris. c. l. n. 72. & seqq.*

LIII. Assertio 2. Si Clericus beneficiarius sponte, & non coactus renunciavit beneficio Ecclesiastico, tum, si spoliatus agere velit interdico recuperandæ possessionis, obstat ei exceptio factæ spontaneæ renunciationis; adeòque non est audiendus; prout sumitur ex *c. Accepta; 3. h. t.* nam quidam Clericus » Publius nomine conquestus est Alexandro III. se per » vim Ecclesiâ suâ spoliatum fuisse. Quare Papa mandavit quibusdam Judicibus, ut, si res ita se haberet, » Ecclesiâ ei restitui curent. Sed responsum fuit ab adversario, quòd ipse non fuerit spoliatus, quando » quidem coram Archiepiscopo Eboracensi Apostolicæ Sedis Legato sponte eandem Ecclesiâ abjuravit, sive juratus ei renunciavit. Hoc cognito, Papa » rescripsit ad Judices delegatos, ut, si ipsis constiterit, quòd Clericus ille dictam Ecclesiâ, nullo metu, vel vi coactus, sed sponte abjuravit, perpetuum ipsi super hoc silentium imponant.

LIV. Pro explicatione huius difficultatis c. in quod Navarrus integrum tractatum scripsit; Notandum primò, variè hoc c. exponi ab Interpretibus, qui laborant in eo, quomodo hoc c. 3. concordandum sit cum præcedente. Prima expositio est, hoc c. 3. intelligendum

dum esse de renunciatione facta in manibus Superioris; præcedens verò de renunciatione facta in manibus alterius, non Superioris: nam, quando renunciatio beneficij facta est in manibus Superioris, ad quem pertinet renunciationem admittere, præsumitur facta, non ob vim, aut metum, sed propter auctoritatem Superioris, sive facta sit in iudicio, sive extra iudicium, coram pluribus; ut dici possit factum notorium, vel per publicum, & authenticum instrumentum: nam sic renuncians non potest petere restitutionem beneficij; quia ipsi obstat notorius defectus proprietatis, sive constat, ipsum nullum jus in beneficio habere; ut indicatur in c. 3. h. t. idque procedit, sive renunciatio facta in manibus Superioris præcesserit spoliationem, sive etiam eam subsequuta sit, *Abb. in cit. c. 3. n. 4. & in c. 2. n. 10. h. t.*

Altera expositio est huius c. 3. eaque magis communis, quòd hoc c. loquatur de eo, qui beneficium resignavit ante factam spoliationem, per quam renunciationem proprietatis, & possessio amittitur: ideòque secutà spoliatione, non potest agere interdicto recuperandæ possessionis, quippe, quod non conceditur illi, qui factò proprio possessionem amisit, & notorius etiam defectus proprietatis impedit possessionis recuperationem, *Beroius in cit. c. 2. n. 21. h. t. Menoch. remed. 1. recuper. poss. n. 297.* At verò in c. 2. h. t. agitur de renunciatione beneficij facta post spoliationem, per quam sola proprietatis perditur; quia illi soli resignans renunciassè videtur, non autem possessioni, quippe quam eo tempore non amplius habebat, ideòque exceptio renunciationis factæ post spoliationem non debet admitti contra agentem interdicto recuperandæ possessionis, *Abb. in cit. c. 2. n. 8. in 4. solut. Excipi debet: nisi post factam renunciationem longo tempore renuncians manserit in possessione beneficij: tunc enim ante omnia restituendus est; nec obstat agenti interdicto recuperandæ possessionis exceptio renunciationis, quia tunc, ob diuturnitatem temporis, præsumitur iusta possessio, & jus de novo supervenisse, & quòd tanto tempore à Superiore in possessione toleratus non fuisset, nisi ei jus aliquod competeret, *Abb. in cit. c. 2. n. 7. h. t. Menoch. cit. rem. 1. n. 299. & 300.**

Tertia expositio huius c. (alij omisiss) est Navarri in eod. c. *Accepta oppos. 1. n. 13. & 14.* videlicet hoc c. intelligendum esse de exceptione talis renunciationis spontaneæ, de qua nulla est præsumptio juris, & de jure, quòd sit metu facta, qualis est renunciatio facta ante spoliationem, quæ in dubio præsumitur sponte facta: ideòque renuncians, si spoliatus agat interdicto, *Vnde vi.* non est audiendus, nec restituendus, juxta *cit. c. 3. h. t.* At verò *cit. c. 2.* intelligendum esse de illa renunciatione, de qua est præsumptio juris, & de jure, contra quam probatio non admittitur, saltem quoad fiat restitutio, quòd sit metu facta, qualis est renunciatio facta post spoliationem: quia hæc ex juris præsumptione non censetur sponte fieri, nemo enim præsumitur sponte renunciare beneficio, quo sustentatur, quòdque multis sumptibus, & laboribus acquisivit, c. *Super hoc; 5. de renunc.* ideòque renuncians, post spoliationem, non obstante exceptione renunciationis, est restituendus, juxta *cit. c. 3.* Ex quo clarè patet, differentiam esse faciendam inter renunciationem factam, ante spoliationem, & factam post illam. *Addit Navarr. in cit. c. Accepta, opposit. 5. n. 13.*

magnam quoque differentiam esse inter renunciationem beneficij spontaneam, & coactam; quia spontanea impedit restitutionem possessionis beneficij, saltem quandoque, non autem coacta, quia nimirum spontanea est valida, vel potius, quia rescindi nequit: coacta verò est nulla, vel saltem rescindi potest. Ex quo n. 14. infert, quòd resignanti ex metu beneficium, illud restitui non debeat, ante rescissionem talis renunciationis metu factæ: quamvis ex c. 3. h. t. solum colligitur, renuncianti ex metu non esse negandam restitutionem: ex c. 2. verò solum probatur contra eum, qui spoliatus renunciavit beneficio, non esse admittendos testes ad probandū, renunciationem fuisse spontaneam, antequam restitueretur; quia ex præsumptione juris, ac de jure censetur coactè facta, donec restitutio fiat.

L.V. Notandum secundò, Quòd dictum est, petenti restitutionem beneficij ob stare exceptionem spontaneæ renunciationis, id non solum procedit in abjuracione, sive renunciatione jurata, de qua est sermo in *cit. c. 3. h. t.* sed etiam in renunciatione simpliciter, seu non jurata; ut constat ex c. *Ex transmissa; 3. & c. In presentia; 6. de renunc.* ubi renunciatio simplex, etiam non jurata, obstat renuncianti: quia renunciatio inducit defectum notorium proprietatis, qui repellit à petitione beneficij; ut supra dictum, *Paris. l. 1. de resign. benef. q. 13. n. 37.*

L.VI. Assertio 3. Etiam in interdicto retinendæ possessionis, in causa beneficij, reo, sive turbatori opponi potest exceptio spontaneæ renunciationis, si probari possit, quòd is abjuravit, sive juramento promiserit, se possessorem non turbaturum, vel molestaturum super certa Ecclesia, vel beneficio: adeòque iudicatus sponte renunciaverit juri, quod prætendebat in illa Ecclesia, vel beneficio; ut ex communi docet *Imola in c. Audita; 4. n. 2. h. t.* Idque sumitur ex eodem c. Nam cum quidam Clericus, Titius nomine, còquæstus esset Papæ Alexandro III. quòd Humbertus, qui in alia Ecclesia personatum habebat, sive Rector erat, ipsum indebitè molestaret super Ecclesia sua, mandavit Papa Episcopo Vigorensi, & Helienfi Archidiacono, ut, si ipsis constaret, quòd Humbertus alterius Ecclesiæ personatum haberet, & quòd Ecclesiam Titij in perpetuum abjurasset, sive juramento sponte præstito affirmasset, se impostero còroversiam Titio super Ecclesia sua non moturū, ipsum à molestia inferenda cohiberent. Sed Humbertus ad Sedem Apostolicam nuncium destinavit, qui coram Papa proposuit, ipsum per violentiam eidem Ecclesiam spoliatum esse. Quare Papa alteras litteras ad eosdem Judices dedit, mandans, ut, si ipsis constaret, Humbertum spoliatum esse Ecclesiam, cui renunciavit, contra eum testes super juratà renunciatione post violentiam factam, non reciperent: led probatà violentiam (nempe quòd Humbertus prædictam Ecclesiam violenter spoliatus fuerit) quod iustum esset, decernerent, non obstantibus prioribus litteris ab alterutra parte à Papa impetratis; prout habetur in integra lectione huius c. Quòd si litteræ à Nuncio impetratæ continerent aliquid, per quod status causæ immutatus fuisset, id non obstantibus ijs litteris, rescindatur. Interea verò, antequam posteriores litteræ adveniret, Judices secuti formam priorū litterarū, utrumque cognoverunt, & quòd Humbertus alterius Ecclesiæ personatum haberet, & quòd Ecclesiæ Titij juratus

tus sponte renunciaffet, ideoque ei prohibuerunt,
 ne deinceps Titio molestiam inferret. Tandem
 idem Alexander III. tertio rescripto ad eodem Ju-
 dices dato, respondit, quod non ita intellexerit, nec
 intelligi debuerit, quali revocari, vel rescindi oport-
 eret, quæ auctoritate litterarum Apostolicarum
 legitime acta fuerunt, sed si, quæ per præsumptio-
 nem, vel violentiam acta fuissent: Quare mandat,
 ut, si sententia ab ipsis lata sit, ante receptionem
 posteriorum litterarum, nequaquam eam revocent:
 quin imò, si contra illam quippiam statutum sit, id,
 remota appellatione, revocent. Si verò post rece-
 ptas posteriores litteras Papales, sententia à Judi-
 cibus lata fuerit, eà non obstante, secundum tenorem
 earundem, sublatà appellatione, procedant.

LVII. Notandum primò. Contra turbato-
 rem, seu molestiam in causa beneficii agi potest
 interdictò, *ni possideatis*, seu *retinenda possessionis*, ut
 cesset à turbatione; quod competit non solum inter
 duos, quorum uterque contendit, se possidere; quia
 in hoc Judicio uterque est actor, & reus, & potest age-
 re, ac petere; ut notat Innoc. *hic in princ.* sed etiam in-
 ter possessorem, & eum, qui turbat, seu molestiat; ut
 patet ex hoc c. ubi Titius possidebat Ecclesiã, & Hum-
 bertus ipsum turbabat; ideoque Titius agebat inter-
 dictò, *ni possideatis*, ne inquietaretur. *Gl. hic V. Mo-
 lestiar. & Abb. n. 4.* Est autem duplex turbatio,
 seu molestatio, una judicialis, si quis alteri litem mo-
 veat, coram Judice, super beneficio, v. g. vel jure de-
 cimatum, quod possidet; & in hoc casu non habet lo-
 cum interdictum, *ni possideatis*, contra actorem, qui
 prior provocavit, & paratus est in Judicio petitorio
 probare jus suum. *Abb. c. l. quia, qui jus suum perse-
 quitur*, coram Judice, non censetur aliquem mole-
 stare, seu turbare. *Arg. l. 55. ff. de R. I. Nullus vi-
 deatur dolo facere*, qui jure suo utitur, adeoque nec is,
 qui ordinariã actione experitur. Altera est mole-
 statio extrajudicialis, ob quam possessori conceditur
 interdictum *retinenda possessionis*, ut in casu hujus
 c. Humbertus extrajudicialiter turbabat, & mole-
 stabat Titium super juribus, & redditibus suæ Ecclesiæ:
 ideoque hic impetravit rescriptum à Papa super inter-
 dictò, *ni possideatis*, vi cujus Humbertus compelleretur
 desistere à molestando, seu turbando. *Abb. hic n. 3.*

Notandum secundò. Agens interdictò, *ni possi-
 deatis*, non debet probare jus, seu titulum; sed in pos-
 sessione se esse, & alterum extrajudicialiter turbasse,
 seu molestiam sibi intulisse, v. g. ne decimas, vel alios
 redditus Parochiales percipere possit. Probatione
 verò factà, Judex declarat eum debere actorem esse pos-
 sessorem; remque condemnare, ne deinceps possi-
 denti molestiam inferat, sive eum in possessione tur-
 bet. *l. 1. §. Est igitur. ff. Uti possidet. &*, ut præ-
 stet, quanti interest actoris, seu possessoris, vim ei fa-
 ctam non esse. *l. 3. §. ult. ff. eodem. & ibi VVe-
 senbecius in parat. n. 5.* Quod si tamen is, qui fa-
 ceret, se turbasse, probet, se in antiquiore possessione
 fuisse, seu ante illum possedisse; tunc novus, seu pos-
 terior possessor censetur clam, precariò, vel per
 vim possessionem obtinuisse, nisi titulum ostendat c.
Licit; 9. de probat. VVesenbec. c. l. n. 4.

LVIII. Notandum tertio. Possessor potest in
 causa beneficii, præter interdictum *retinenda pos-
 sessionis*, etiam intentare actionem negatoriam in rem
 contra turbantem, ita, ut petat, non solum, ut ipse

in quietà possessione relinquatur; sed etiam declare-
 tur, adversario nullum in beneficio jus competere,
 ideoque eum desistere debere: & tunc non tenetur
 possessor probare titulum, cum eo ipso, quod possideat,
 habeat titulum, saltem præsumptum, vi possessio-
 nis, sed probare debet, adversario jus non competere
 uti sumitur ex hoc c. ubi Titius probavit, Humbertum
 nullum jus habere in Ecclesia, super qua lis
 erat; tum quia ipse in alia Ecclesia personatum ha-
 bebat, seu Rector erat; adeoque non poterat simul
 etiam obtinere aliam Ecclesiam, vel beneficium cura-
 tum, quippe cum altero incompatible. *cap. Multa;*
28. de præbend. tum quia juri Ecclesiæ Parochialis,
 quam possidebat Titius, cum juramento renunciavit,
Imol. hic n. 7. Veruntamen, si reus conventus,
 seu turbator contra possessorem agentem negato-
 riã in rem actione objiciat, se spoliatum fuisse pos-
 sessione Ecclesiæ, vel beneficii; tum prius de spolia-
 tione cognosci, eaque probatà, spoliatus ante omnia
 restitui debet; ut constat ex hoc c. secundum inte-
 gram ejus lectionem; ubi Papa mandat Judicibus, ut
 si constet, ipsum Humbertum spoliatum esse, testes
 alterius partis, videlicet Titij, super juramento, &
 renunciatione ab Humberto spontaneè factà, nequa-
 quam recipiant; sed potius testes Humberti, quibus
 intendebat probare, quod violenter prædictã Eccle-
 siã spoliatus fuerit, recipiant, dummodo sint ido-
 nei, & secundum eorum depositiones, & allegatio-
 nes, quod justum est, decernant. Neque tamen
 ideo spoliator prohibetur instituere Judicium peti-
 torium contra spoliatum, nisi Judex in pœnam spolia-
 tionis per sententiam eum jure suo privaverit. *cap.
 Eum, qui; 18. de præbend. in 6.* Sed hoc casu, non so-
 lum non sufficit, si actor probet, spoliatum, & pos-
 tea restitutum nullum jus habere in Ecclesia, vel be-
 neficio, de quo lis est, sed etiam jus suum, sive titu-
 lum institutionis suæ, in Ecclesia, vel Beneficio probare
 debet, ut vincat in Judicio petitorio. *Gl. in c. Pastro-
 ralis; 5. V. Intentare de caus. poss. & propr.* cum fieri
 possit, ut neutri jus competat, & tunc uterque repel-
 lendus erit à Judice, ne vitiosus ingressus in benefi-
 cium detur. *Abb. in c. Cum super; 4. num. 3. & 9.
 de caus. poss. & propr. Laym. de restit. spol. thes. 24.*

LIX. Notandum quarto. Quamvis in Judi-
 cio possessorio, unde vi, seu recuperanda possessionis,
 testes prius recipi debeant, & probatà spoliatione,
 ante omnia, spoliatus restituendus sit; si tamen Ju-
 dex, hoc ordine inverso, testes in petitorio, seu
 super causa proprietatis prius recipiat; sive per illos
 probetur, jus possessori competere; sive probetur
 nullum jus adversario molestanti, seu turbanti com-
 petere: tum, si spoliatus contra talem ordinem pro-
 cedendi nihil opponat, vel non appellet, sententiã
 lata in Judicio petitorio contra spoliatum tenet, nec
 is postea audiendus est; cum ipsi obstat notorius
 defectus proprietatis: & ratio est, quia hic ordo
 non pertinet ad substantiam Judicij; ut docet *Gl.
 in summa caus. 2. q. 1. V. Quod autem. Abbas in
 cap. Cum dilectus; num. 9. de caus. possess. & propr.*
 Ique colligitur ex cit. *cap. Audita; 4. h. 1.* Ubi
 Papa rescribit, quod sententiã à Judicibus dele-
 gatis lata, secundum tenorem priorum litterarum
 Papalium, rata manere debeat, non obstante obje-
 ctione spoliationis ab Humberto factã, dummodo

sententia à Judicibus lata sit, antequam reciperent posteriores litteras Apostolicas, in quibus prior processus inhibebatur.

Notandum quintò. Si Papa, vel alius Princeps rescribat, acta in aliqua causa irritanda, vel rescindenda esse, id intelligi debet, non de ijs, quæ rite, & legitime acta, vel mutata sunt; sed de ijs solùm, quæ illegitimè per violentiam, vel præsumptionem, vel aliàs illicitè, ac indebitè acta sunt, quia Princeps non præsumitur velle revocare, vel irritare ea, quæ legitime facta sunt, nec derogare velle juri jam acquisito aliorum. *Abb. in cit. cap. Audita; num. 5. h. t. Imol. ibid. num. 6. ubi adfert exemplum; si Papa mandet alicui conferri certum beneficium, tamen jam alteri prius collatum sit: id enim intelligi debet, si non legitime alteri collatum fuerit.*

§. VIII.

Quando, & quomodo restitutio spoliati facienda sit in causis matrimonialibus?

LX. Assertio 1. Si conjunx conjugem, sive maritus uxorem, quæ ab ipso propriâ auctoritate recessit, tanquam spoliatus sit, restitui petat, cum possessio hæc habeat titulum involutum, id est, mixtum proprietati; ideo spoliatus titulum, ac valorem saltem præsumptivè ostendere debet: quia scilicet in facie Ecclesiæ contractum sit: nam pro tali matrimonio præsumptio est, esse validum, donec contrariū ostendatur. Quòd si conjux se separans opponat impedimentum matrimonij dirimens; tum, si matrimonium consummatum sit, mox plena restitutio conjugis, se separantis fieri debet, etiã quoad torum: quia per matrimonium consummatum plena possessio conjugis acquiritur, & spoliatus plenè restitui debet, nisi impedimentum dirimens notorium sit, aut probationes ejus incontinenti offerantur: tunc enim prius probationes recipiendæ sunt, quàm fiat restitutio ad torum conjugalem, propter periculum peccati fornicationis: alioquin verò, si non versetur periculum peccati, agenti interdicto recuperandæ possessionis non obstat exceptio defectus proprietatis, tamen probationes offerantur incontinenti paratæ, sed plena restitutio non est deneganda spoliato eam petenti. Idque sumitur ex c. *Litteras; 13. h. t.* Nam Guilielma mulier coram Archidiacono Bituricensi (Archiepiscopo absente) petijt separationem matrimonij, eò quòd quarto gradu consanguinitatis conjuncta esset viro, idque incontinenti probare volebat; sed vir postulavit, prius eam sibi restitui, cum ab ipso propriâ temeritate discesserit. Ex parte verò mulieris propositum fuit, restitutionem non esse faciendam; tum propter periculum incestus, si viro cohabitaret; tum, quòd parata sit incontinenti adferre probationes, propter quas restitutio sit deneganda. Accedit, quòd nota etiam sit sævitia viri, qui illam cruciatibus, & metu mortis coegeret, ut ab accusationibus matrimonij desisteret; prout habetur in integra lectione hujus c. Sed vir nihilominus perstitit in petenda restitutione uxoris, & ne

fecus fieret, nempe, ne ad petitorium procederetur, ad Sedem Apostolicam appellavit. Respondit Papa Innoc. III. diversas esse circa propositam questionem, num hoc casu concedenda, an verò neganda sit restitutio, Doctorum sententias. Nam quidam dicunt, prius esse faciendam restitutionem conjugis, quàm de valore matrimonij cognoscatur, nisi auctoritate Lucij III. (in c. *Ex conquisitione; 10. h. t.*) qui mandavit, ut, si vir, sine Judicio Ecclesiæ, uxorem dimiserit, & postea ei consanguinitatis impedimentum objecerit, mulieri sic spoliatæ, ac repenti conjugem is prius restituatur, ac postea de valore matrimonij cognoscatur. Cui tamen sententiæ ob stare videtur periculum incestus: sed hunc vanum timorem esse: quia, etsi restitutio sit obtenta, is, qui notitiam habet consanguinitatis, nec exigere contra conscientiam debitum potest, nec redere tenetur; alioquin graviter peccabit: sicut nec ille, super cuius conjugio, seu valore matrimonij nulla quæstio movetur, nec exigere, nec reddere debitum potest, si consanguinitatis sit conscius.

Alij negant, faciendam esse restitutionem, propter responsum Clement. III. (in c. 1. *de ord. cognit.*) à quo quæsitum fuit, utrum, cum mulieri cuidam, quæ aliquem in virum petebat, is ad eam repellendam ei exceptionem consanguinitatis objecisset, prius de impedimento consanguinitatis agendum sit, quàm super matrimonio sententia proferatur? Respondit Papa, quòd, cum probatâ exceptione, causa principalis perimatur, prius de ipsa cognoscendum sit, quàm ad definitivam sententiam procedatur; cum in multis casibus, secundum Canonicas sanctiones, restitutio conjugis differatur. Alij denique distinguunt, utrum objiciatur gradus consanguinitatis Divinâ lege dirimens matrimonium, ita, ut Papa dispensare non possit; & tum restitutionem conjugis negandam esse: an verò objiciatur gradus consanguinitatis, qui Ecclesiasticâ solùm lege dirimit matrimonium; & tunc concedendam esse restitutionem: unde non peccat, qui in tali casu, ad mandatum Ecclesiæ, reddit debitum conjugale.

Porro, Papa Innocent. III. nullâ ex his sententijs reprobare volens, id tantum admonet, quòd responsum Clementis III. in c. 1. *de ord. cognit.* non sit contrarium responso Lucij III. in c. 10. *h. t.* quia in priore agebatur Judicio petitorio tantum, in posteriore verò Judicio possessorio, sive interdicto recuperandæ possessionis. Ipsemet verò Innocent. III. respondit. Si ex una parte petita sit restitutio conjugis, propriâ auctoritate, recedentis; ex altera verò ei opponatur impedimentum consanguinitatis, præsertim in gradu lege Divinâ prohibito, in quo dispensari non potest, tunc non debet fieri restitutio, quoad torum, & redditione debiti conjugalis, ob periculum incestus. Ut in casu hujus c. mulier conscia consanguinitatis non debet restitui marito, quoad torum; cum non possit viro, sine peccato mortali, carnaliter commisceri: quin imò, si per Judicis sententiâ restituatur viro, potius excommunicatione humiliter sustinere debet, quàm reddendo debitum, consentire in copulam fornicariam; cum non debeat in hoc Judicio contra Deum obedire: & quia omne, quod non est ex fide, id est, contra conscientiam, peccatum est, *Rom. 14.* Quòd si probationes offerantur inconti-

incontinenti paratæ ab opponente impedimentum consanguinitatis; tum restitutio conjugis faciendâ est ad cohabitationem, & alia officia conjugalia, exacto prius, ad majorem cautelam, juramento, quod restitutio malitiosè non petatur: sed quoad copulam carnalem restitutio differenda est (maximè si fama coadjuvet) donec receptis probationibus, causa super valore matrimonij terminetur. Si verò probationes statim afferri non possint, sed dilatio longior petatur, cum hoc casu præsumptio sit contra mulierem, quæ sine Judicio Ecclesiæ, propriâ temeritate à viro discessit, ad plenam restitutionem per Ecclesiasticam censuram compelli debet; quam illa humiliter tolerare debet, negatâ debiti redditione, donec probato impedimento à censura absolvatur. Denique, si viri fœvitia objiciatur, eaque tanta sit, ut non possit sufficiente cautione uxoris securitati consuli; tum non tantum marito restitui non debet, sed etiam ab ipso amoveri, & se parati: alioquin verò sufficiente cautione præstitâ, uxor, ante causâ matrimonialis cognitionem, marito restituenda est.

LXI. Pro explicatione hujus celeberrimæ, & in praxi frequentissimæ c. Notandum primò. Si agatur Judicio petitorio, in quo mulier probationes offert, quibus demonstrare vult, hunc esse suum maritum, sed vir exceptionem consanguinitatis objiciat; tum prius de exceptione illa cognosci debet, quam de causa principali, ex generali illo principio, quod probatâ exceptione peremptoriâ, perimitur causa principalis. c. 1. de ord. cognit. & dictum supra tit. 10. n. 4. Cui non obstat decisio c. Litteras; h. t. quia id loquitur de Judicio possessorio, in quo mulier allegabat, matrimonium esse nullum, ob impedimentum consanguinitatis; vir econtra contendebar, sibi veluti spoliato uxorem esse restituendam, quippe, quæ, propriâ auctoritate, ab ipso discesserat: egisse autem illam petitorio, inde patet; quia non petebat sibi restitui maritum, sed se ab illo separari, obtendens consanguinitatem, cujus probationes habebat paratas.

Sed neque textus in c. Ex conquestione: 10. h. t. advertatur c. Litteras. quia ibi præcipitur, ut mulieri agenti possessorio vir restituatur, & postmodum causa matrimonij terminetur, quod etiam decernitur in c. Litteras. nisi quod in priore c. conscientia petentis restitutionem relinquatur, quia occultæ consanguinitatis conscientia, sicut non potest debitum petere, aut reddere, etsi super ea lis mota non fuerit; ita nec sine peccato potest, quamvis in foro externo conjux per Ecclesiasticam restituatur. In hoc verò c. ob humanam fragilitatem duplex cautela est addita: una, ut, si conjux, quæ cupit separari à viro, incontinenti probationes consanguinitatis offerat, alteri petenti restitutionem, ea quidem adjudicetur, quoad cohabitationem, & alia, non autem quoad carnalem copulam, donec causa super valore matrimonij decidatur, & ut exigatur juramentum de objectione impedimenti, & oblatione probationum malitiosè non factâ. Altera cautela est, si non adsint probationes incontinenti paratæ, sed dilaciones petantur; mulier propriâ auctoritate discedens à viro compellatur ad plenariam restitutionem, sine carnali copula, usque ad litem finem. Quod verò ad tertiam sententiam, cujus auctor nullus nominatur in c. Litteras. attinet.

Tomus II.

net, ea non distinguit inter gradus consanguinitatis Divinâ, & humanâ lege prohibitis, sed in utrisque censet, idem esse observandum, etsi major sit ratio, cur id fiat in gradibus Divinâ lege prohibitis, ideòque in his præsertim cautelam adhibendam esse. Postremam autem sententiam absolutè tener Innocentius in cit. c. Litteras. videlicet in gradibus consanguinitatis humanâ lege prohibitis, absolutè restitutionem esse faciendam conjugis agenti Judicio possessorio: idque ideo, quia Ecclesia eo ipso videtur dispensasse, aut dispensare, vel certè esse dispensatura, si opus sit: quod, donec fiat, nihilominus incumbit conscientie impetrantis restitutionem, abstinere interea à confortio tori. At in gradibus Divinâ lege prohibitis absolutè negat, restitutionem faciendam esse, majoris scilicet securitatis causâ, cum in illis non possit dispensari. Porro, cum Pontifex nullum velit prædictis sententijs præjudicium generari, sed suam tantum proponat, tanquam securiorem, liberum est Judici, secundum quam velit, pronunciare, etsi in re ipsa non sit magnum discrimen; ut apparet.

LXII. Notandum secundò. Conjux potest petere separationem matrimonij, ob consanguinitatem, vel aliud impedimentum dirimens, etiam si ab initio sciverit impedimentum; adeòque malâ fide matrimonium contraxerit: quia, quamvis aliàs, qui allegat propriam turpitudinem, non audiat, hoc casu tamen admittitur ad agendum, cum agatur de peccato vitando. Abb. in cit. cap. Litteras. n. 2.

Notandum tertio. Agenti interdictione recuperanda possessionis non obstat exceptio defectus proprietatis, etiam si probationes incontinenti offerantur paratæ: nam non obstante hujusmodi oblatione probationum, fieri debet restitutio, præterquam, si vertatur periculum peccati; ut colligitur ex cit. c. Litteras. in quo mulier, quæ spoliaverat maritum, propriâ auctoritate, ab ipso recedendo, præcipitur restitui viro, quoad cohabitationem, & alia jura conjugalia, in quibus periculum animæ non imminet, non autem ad copulam carnalem; nam hoc casu probationes impedimenti dirimentis prius actu recipi debent, quam fiat restitutio ad torum conjugalem, cum sine periculo peccati carnaliter conjungi non possint: nam probato impedimento dirimente, matrimonium inter tales conjuges est irritum; ideòque probationes, ante restitutionem ad torum, recipi debent; ut constet, an matrimonium valeat. necne? gl. hic V. Offeruntur, & Abb. n. 5.

Censentur autem probationes offerri incontinenti paratæ, si non petatur longa dilatio, sed consideratâ qualitate causæ, aliisque circumstantijs, intra breve tempus arbitrio Judicis determinandû, seu post paucos dies, sufficiens probatio exhibenda promittatur. Arg. l. Ratum; 13. ff. de solution. illud. Quamprimum denotat spatium aliquod temporis, secundum viri prudentis intellectum. Abb. in cit. c. Litteras. n. 6.

LXIII. Notandum quarto. Si uxor conscientia sit occulto impedimenti dirimentis matrimonium, sed ob defectum probationum, quas incontinenti offerre non potest, ab Ecclesiastico Judice per censuram excommunicationis compellatur ad reddendum debitum marito, potius patienter ferre debet excommunicationem, & in foro externo se gerere pro excommunicata, quam consentire in illicitam copulam, quamvis talis excommunicatio coram Deo verè non liget. Abb. hic n. 22. & Barb. ibid. n. 23. Sanch. l. 2. de matr. dif. 39. n. 9.

Notandum quintò. Propter gravem savitiam mariti non est restituenda ei uxor, si tutè non possit ei cohabitare, neque is sufficientem cautionem securitatis per pignora, vel fideiussores præstare possit, sed sententia divortii est proferenda; ut colligitur ex *cit. cap. Litteras*. Idèmq; est dicendum de marito respectu uxoris, si hæc insidiatur vitæ ipsius. *Abb. hic n. 7.* de quo plura infra.

LXIV. Assertio 2. Non tantum, si conjux domo ejectus sit à conjuge, agere potest Judicio possessorio, ac petere, se restitui; sed etiam, si conjux à conjuge discessit, aut se propriâ auctoritate separavit, alter conjux agere potest interdicto recuperandæ possessionis; ut colligitur ex *cit. c. Litteras*; & tradit *Abb. ibid. n. 3.* quia utroque casu conjux, sive ejiciens, aut expellens, sive ultro recedens, absque Judicio Ecclesiæ, censetur alterum spoliare possessione juris matrimonialis: & consequenter conjugi spoliato competit Judicium, seu interdictum recuperandæ possessionis. Quòd si maritus uxorem à se repulit, sed postea facti pœnitens eandem revocet; ipsa autem redire nolit, ex eo tempore maritus spoliatus censetur, ut agere ipse possit Judicio recuperandæ possessionis; ut tradit *Gl. recepta in cit. c. Litteras. V. Divortii. Abb. ibid. n. 9.* Similiter, si uxor propriâ temeritate, discessit à marito, postea verò facti pœnitens ad illum redire velit, sed non admittatur; ex eo tempore ipsa tanquam spoliata agere potest, ut recipiatur. *Abb. in cap. Ex conquestione; 10. num. 1. h. r. & Gl. in cap. Significasti; 4. V. Materiam; de divortii.* ubi addit, quòd à viro non possit repetere expensas, quas fecit in sui sustentationem, postquam à viro recessit; bene autem postea, si vir revertentem non admittat. Ratio est, quia nulla temeritas, aut culpa conjugis obest, aut derogat per se, ac directè juri matrimoniali, nisi adulterium, sicut significavit Christus *Matth. 5. vers. 32. & c. 19. v. 9.* Alia verò crimina, ob quæ conjux repelli potest, per accidens se habent ad substantialem obligationem matrimonij: ideòque ipsæ cessantibus, recipi debet conjux, *Laym. l. 4. Theol. mor. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 7.*

Quòd si verò mulier, propriâ auctoritate, recedat à viro, & redire nolit, etiam per vim capi, & ad domum mariti reduci potest; sicuti etiam fugiens servus, Religiosus, Colonus adscriptitius. *l. Si Coloni; 14. C. de agric. lib. 11. Abb. in cit. cap. Litteras n. 29.* Et quidem maritus uxorem, dum in actuali fuga est, etiam propriâ auctoritate, capere, & reducere potest, ut possessionem defendat, & securitatem sibi præstet; ut colligitur ex *l. Ait Prætor; 10. §. Si debitorem. ff. Quæ in fraud. credit. junct. Gl. V. Locum fore.* Sed et si mulier per fugam jam evasit, si tamen postea in loco, quò se recepit, reperitur, etiam propriâ auctoritate capi, & reduci in domum mariti potest, saltem si Judicis copia facilè haberi non possit; sicut de colono, & servo probabiliter docet *Menoch. remedi. 10. recuper. possess. n. 51. & seqq.* cum adhuc subsit periculum fugæ, quam diu persona ita obligata vagabunda est, & à nemine possidetur. Secus est, si mulier ab alio jam possideatur, ut quia alteri, tanquam marito suo adhæret, vel quia colonus, aut servus alterius potestati se subjecit: tum enim non propriâ, sed non, nisi Judicis auctoritate capi, & reduci potest, cum possessio illius amissa cen-

seatur. *Menoch. c. l. n. 55. Laym. de restit. spoliat. ches. 30.*

LXV. Assertio 3. Si matrimonium per consensum de præsentibus non sit contractum; mulieris se propriâ auctoritate separat à viro, tamen in domum illius sit traducta, eique cohabitaverit, restitutio fieri non debet; prout sumitur ex *c. Ex parte; 14. h. r.* ubi habetur, quòd quidam civis Senensis nepotem suam ex fratre, Martham nomine, adhuc impuberem desponere, sive matrimonio copulare voluit filio alterius civis Senensis, qui nondum septem annorum erat; eaque in domum ejusdem traducta fuit: cum autem illa ad nubiles annos (nempe pubertatis) pervenisset, noluit ratum habere, quòd à patruo suo actum erat, sed à Senonensi Episcopo alteri nubendi licentiam postulavit, qui cum partes citasset, mulier per Procuratorem idoneum missum postulavit possessiones, & alias res, quas viro nomine dotis dederat, sibi restitui. Sed pars altera petijt mulierem sibi restitui, asserens etiam, quòd illa non possit per alium in Judicio agere, sed personaliter se sistere, & comparere debeat; prout habetur in integra lectione hujus *c. Quare Episcopus super hac causa consuluit Papam Innocentium III.* qui in primis respondit, non esse dubium, quin ipsa mulier, quamvis ætate minor sit, possit causam matrimonij per Procuratorem agere: deinde partem alteram, quæ mulieris restitutionem postulavit, nequaquam audiendam esse, cum nullo juris, aut possessionis comòdo fuerit privata: quandoquidem per solam traductionem mulieris in domum viri, quam nec antecesserunt, nec subsequuta sunt sponsalia (de præsentibus, vel saltem de futuro. *Imol. hic n. 11.*) vel legitimus consensus, nullum inter eos obligationis vinculum fuit contractum. Quare mandat Papa Episcopo Vulterano, si ita se res habeat, ut causam cognoscat, eamque appellacione remotâ, definiat, non obstantibus prædictis exceptionibus, videlicet, quòd mulier non poterat agere per Procuratorem, & quòd viro, ad petitionem illius, restitui debeat. *Gl. fin. hic.*

LXVI. Ratio hujus constitutionis est, quia liber homo possideri non potest, absque titulo aliquo saltem colorato, per quem jus, seu obligatio personalis in eum acquiratur. *l. Qui universas; 30. §. 1. ff. de acquir. poss.* ubi dicitur; Locum religiosum, aut sacrum non possimus possidere (sed detinere tantum, *Gl. ibid. V. Possidere.*) sicut nec liberum hominem, & *l. Cum heredes; 23. §. Item quæro. ff. eod. ubi dicitur, quis vinxerit liberum hominem, eum non possidere.* Requiritur ergo ad acquirendam possessionem liberi hominis aliquis legitimus titulus, per quem jus aliquod in personam personaliter sibi obligatam sit acquisitum; qualis est matrimonij in conjuge, professio religiosa in Religioso, &c. At verò per solam traductionem mulieris in domum viri, non censetur contracta esse sponsalia (ne quidem de futuro) *l. Quæstionum; 9. ff. de sponsalib.* multò minus sponsalia de præsentibus, seu matrimonium: cum ergo per talem traductionem nullam sit vinculum obligationis contractum inter virum, & mulierem, per quod hæc dicatur possideri à viro, ideo illà recedente; etiam propriâ auctoritate, à viro, non potest hic petere restitutionem illius: quia ubi non præcessit possessio, non potest habere locum spoliatio, quæ præsupponit possessio-

possessionem rei, quâ quis spoliatur; sicut privatio præsupponit habitum, *Arg. c. pen. de despons. impub.* ubi autem non præcessit spoliatio, nec datur restitutio, *c. Consultationibus; 10. de offic. deleg. Gl. hic V. commodo; & Abb. n. 4.* Quare cum in casu hujus c. vir non fuerit in possessione mulieris, illa ei restitui non debet, quippe qui nullo juris, seu possessionis commodo fuit privatus, ut dicitur in textu.

Atque hinc à contrario sensu infertur, quòd, si matrimonii vinculum inter virum, & mulierem esset contractum, sed nondum consummatum; tum mulier recedens à viro, propriâ auctoritate, restitui deberet, quoad cohabitationem, & alia obsequia conjugalia (præterquam ad copulam carnalem) cum ad illa jus habeat alter conjux, post matrimonium contractum, sed nondum consummatum, *Abb. in cit. c. Ex parte n. 25. & Imol. ibid. n. 11. Sanch. l. 2. De matrim. dif. 41. n. 50.* Non autem ante matrimonium consummatum fieri debet restitutio, quoad torum, seu carnis debitum, ut infra dicitur. Nec obstat, quòd conjux matrimonium nondum consummato, ingredi potest religionem, *c. Ex publico; 7. de convers. conjug. nam interim, dum non ingreditur, jus habet alter conjux ad obsequia conjugalia, præter copulam, Imol. c. 1. & Sanch.*

LXVII. Notandum hic præterea primò. Si extraneus, vel etiam patruus, præsentem muliere, & non contradicente, contrahat sponsalia; nomine illius, cum aliquo, non præsumitur illa consentire, nisi alia signa inducentia tacitum consensum interveniant: secus est, si pater, præsentem filiâ, & non contradicente, quam in potestate habet, contrahat; tum enim censetur consentire, *Imol. hic n. 11. & colligitur ex hoc c.*

Notandum secundò. Licet aliàs, si major ætate contrahat sponsalia cum minore ætate, major debeat expectare, donec minor ad legitimam ætatem pervenerit, *c. De illis; 7. de despons. impub.* id tamen solum procedit, quando sponsalia sunt valida; secus, si sunt invalida, ut si unus, sive alter eorum sit inhabilis ad sponsalia, ob defectum ætatis; tum enim alter habilis expectare non debet: quia, cum sponsalia perficiantur consensu utriusque partis, si vel altera pars sit inhabilis, ea non tenent; ut in casu hujus c. mulier fuit infra annos pubertatis, is verò, cum quo contracta sunt sponsalia, minor septennio, *Abb. hic n. 9. & Imol. n. 12.* imò in proposito nulla fuerunt contracta sponsalia, nec matrimonium inter mulierem, & puerum, sed patruus tantum mulieris volebat contrahere, quòd tamen facere non potuit, *Gl. hic V. Copulare; Hostiens. col. 1. Vers. Vel dic.* Unde mulier hæc, postquam ad pubertatem pervenit, ex abundantia solum petiit licentiam alteri nubendi, cum propriâ auctoritate id potuisset; ut notat *Hostiens. hic V. Nubendi;* qui tamen addit, bene eam fecisse petendo licentiam ad evitandum matrimonium clandestinum cum alio, *Abb. hic n. 9.* sed hæc aliò pertinent.

Notandum tertio. Si sponsalia sunt nulla, ob defectum ætatis, consultum est, ut mulier, quæ fuit traducta in domum viri, completâ legitimâ ætate, recedat à viro, ne aliàs ulterius illi cohabitando, videatur consentire in virum, tanquam in sponsum, vel maritum, *Abb. hic n. 7.*

Notandum quartò. Quæ data sunt in dorem, intuitu matrimonii, si hoc non fuerit contractum, repeti possunt; quia semper subintelligitur hæc conditio, si matrimonium fuerit subsecutum, & quidem non solum de facto, sed etiam de jure; ut colligitur ex hoc c. *Gl. ibid. Vers. Postulavit; juncta Gl. marg. & Hostiens. Abb. n. 10.*

LXVIII. Assertio quarta. Conjux restituenda est viro, non obstante objectione occulti impedimenti dirimentis; dummodo probet legitimam desponsationem de præsentem, seu matrimonium contractum esse in facie Ecclesiæ, illudque consummatum; nisi ob magnam viri sævitiam, aut capitale odium deneganda sit restitutio; prout sumitur ex c. *Ex transmissa; 8. h. t.* Nam quidam miles petebat restitutionem uxoris suæ, quæ se ab ipso, propriâ auctoritate, separaverat, præterea forte impedimentum consanguinitatis, & quia timebat, periculum sibi imminere, ob sævitiam viri; ut refert *Gl. Hic in casu.* Causâ hæc delatâ ad Papam Alexandrum II. is respondit, si constet, quòd mulier legitime viro desponsata sit, & ab eo cognita, esse ipsi restituendam, receptâ tamen sufficiente cautione (scilicet per pignora, vel fideiussores, *Gl. hic V. Sufficiente cautione*) de non inferendo ei aliquo malo. Si verò vir capitali odio mulierem persequatur, ita, ut ipsi grave periculum merito timeatur; tum ipsa non est restituenda viro, sed collocanda apud probam, & honestam fœminam (vel in Monasterio aliquo Monialium) vel in alio tuto loco, ubi vir, & parentes ejus nullam violentiam mulieri inferre possint, donec causa matrimonialis decisa fuerit, sive de matrimonii valore cognitum.

LXIX. Notandum primò. Ad hoc, ut uxor restituatur viro, debet à spoliato probari titulus saltem coloratus, seu apparens, & præsumptus matrimonii, illud legitime contractum esse, quia non potest haberi possessio personæ liberæ, absque titulo; ut supra dictum, *Gl. hic V. Et ab eo cognita; Abb. n. 5.* Sufficit autem ad restitutionem, probare titulum apparentem, seu præsumptum: quia, si requireretur probare verum titulum matrimonii, tunc quæcumque allegatâ causâ, ob quam irritum redderetur matrimonium, impediretur restitutio spoliati, ita, ut ante illam de impedimento dirimente cognoscendum esset, contra c. *Ex conquisitione, 10. & c. Litteras; 13. h. t. Sanch. lib. 7. de matrim. dif. 112. n. 4.*

Notandum secundò. Discrimen esse inter restitutionem conjugis, se separantis ab altero, quæ fit ante consummationem matrimonii, & illam, quæ fit post consummatum matrimonium: nam ante consummationem matrimonii non fit plena, seu integra restitutio, nempe quoad habitationem, & torum, seu copulam; sed solum quoad habitationem, & alia obsequia conjugalia, de qua est sermo in c. *Ex parte; 14. h. t.* ad quam sola traductio mulieris ad domum viri requiritur, absque copula: at verò post matrimonii consummationem fieri debet plena restitutio, etiam quoad copulam carnalem, de qua agitur in c. *Ex transmissa; 8. h. t.* in quo, ut concedatur plena conjugis se separantis à viro restitutio, etiam quoad torum, ponderatur, & requiritur copula; ibi, si constiterit, quòd mulier legitime desponsata, & à viro cognita fuisset;

fuisse, ipsam ei restitui facias; adeoque exigitur, ut matrimonium consummatum fuerit, ita, ut probari debeat, saltem præsumptivè, & matrimonium esse legitime contractum, & copulâ consummatum, *Sanch. cit. dis. 112. n. 8. & ita conciliari possunt prædicta duo Capp.* Ratio disparitatis est, quia plena possessio uxoris acquiritur per copulam, per quam conjuges una caro efficiuntur: adeoque, si ea, post consummatum matrimonium, se propriâ temeritate separavit à viro, plenè, & integrè ei restituenda est, etiam quoad torum: at verò per traductionem mulieris in domum viri, ante matrimonium consummatum, acquiritur viro solùm possessio uxoris, quoad mutuum cohabitationem, & alia obsequia conjugalia, non autem quoad copulam: ergo, si vir prædictis iuribus conjugalibus injustè spoliatus fuerit, ad illa, ante omnia, restitui debet, præter copulam, *Sanch. c. l.* Non obstat *c. pen. de probation.* ubi negatur, mulierem nondum cognitam viro restituendam esse; sed dicitur, in Monasterio ponenda, donec causa decidatur, & eam non cognitam esse, probetur. Nam ut notat *Gl. ibid. V. Ponaris*; ibi continetur casus specialis, in quo denegatur restitutio mulieris, etiam quoad cohabitationem: quia mulier asserbat, se esse virginem, & Monialem, quo posito, & probato, valuit professio, quippe quæ ante matrimonii consummationem facta fuit: ideòq; non debuit restitui viro etiam ad cohabitationem, ne fortè ab eo corrumpere: alioqui verò, si constitisset, professionem validam non fuisse, debuisset restitui viro quoad habitationem, *Gl. cit. Sanch. c. l. n. 8.*

LXX. Notandum tertio. Quod dictum est, mulierem viro per consensum de præfenti desponsatam, si, postquam traducta est in domum ejusdem, ab eo recedat, ante matrimonium consummatum, restituendam esse viro, quoad cohabitationem, & alia obsequia conjugalia, antequam audiantur ejus exceptiones, id limitandum est; nisi vir adeò sævus, aut fevorus sit, ut meritò timeatur, ne à muliere sibi restituta per vim extorqueat copulam; vel, nisi capitali odio, ac inimicitia eam vir persequatur; tum enim, si neque cautione à viro præstitâ, sufficienter grave periculum mulieri imminens præcaveri possit, ea non est restituenda viro, sed interim in securo loco ponenda, donec de justitia exceptionum à muliere objectarum cognoscatur, & causa matrimonialis decidatur; ut habetur in *cit. c. Ex transmissa*; in fine, *Gl. ibid. V. Sufficiente cautione*; & *Abb. n. 4. Sanch. cit. dis. 112. n. 10.* Postquam verò sententia lata fuit super causa matrimoniali: tum, vel contra matrimonium pronunciatum fuit; & mulier omnino liberatur à viro, ut nubere possit, cui voluerit: vel lata est sententia pro matrimonio, ejusque valore; & tum, vel reconciliabitur viro, ei que restituetur, si periculum cesset, ut tutò ei cohabitare possit: vel divortium instituetur, & omnino ab eo, quoad torum, & habitationem, separabitur, dum mariti sævitia perseverat, *cit. c. Literas in fine h. r. Abb. in cit. c. Ex transmissa*; n. 4. *Laym. de restit. spoliat. thes. 27.*

Notandum quarto. Licet, si post contractum bonâ fide matrimonium, oriatur dubium de valore ejus, & conjux, præmissâ diligente inquisitione, veritatem deprehendere non possit, licitè conjugio uti possit, cum in dubio pro matrimonio stare debeat

præsumptio, *Arg. c. ult. de sent. & re judic.* neque in dubio debeat quis privari possessione juris sui, ita quidem, ut proles ex tali conjugio progenita (dummodo alter conjugum nescius, sive non conficius impediti, quantumvis de eo dubius, fuerit) legitima censenda sit; *c. 2. Qui filii sunt legitimi.* non tamen unus potest alterum cogere ad matrimonium utrum, præsertim vir feminam ad reddendum debitum, lite pendente super valore matrimonii, si causa matrimonialis paulò post à Judice decidenda sit: exponeret enim se valdè gravi periculo, si postea contra matrimonii valore pronunciarî contingeret, & ipsa corrupta sit, ut neque aliud honestam matrimonium facile inire, nec inter sacras virgines in Monasterio velari possit, *Sanch. l. 2. de marr. dis. 41. n. 50. Laym. de restit. spoli. thes. 26.*

LXXI. Notandum quinto. Si mulier desponsata viro per verba de præfenti, ante traductionem in ejus domum, fugiat, non est restituenda, cum nullam vir acquisiverit possessionem illius; adeoque spoliatus non fuerit: quamvis autem hoc casu non possit mulier cogi remedio restitutionis, sive interdicto possessorio *Vnde vi*, ad cohabitandum viro, & alia obsequia conjugalia ipsi exhibenda; potest tamen, si nullam justam exceptionem mulier allegare possit, ad ea cogi, vi contractus matrimonii ad illi obligantis, *Sanch. cit. dis. 112. n. 7. & 9.*

Notandum sexto. Quamvis, si sponsa de præfenti à viro recedat, postquam traducta est in domum viri, sed ante consummatum matrimonium, non sit restituenda saltem ad torum: potest tamen officio Judicis cogi ad ea, ad quæ sponsi tenentur, nisi justam causam, quod à viro recesserit, proponere possit, *Arg. c. 2. de sponsalib.* ubi dicitur, quod nolens implere sponsalia per Judicem cogendus sit ea implere, ita, ut matrimonium ineat, & uxorem maritali affectu tractet: attamen, quando imploratur Judicis officium, à spoliante objeci potest quælibet justa exceptio, atque illa prius examinanda est, quam compellatur Judicis officio. Si verò remedio restitutionis spoliato succurratur, non admittuntur exceptiones communes à spoliante objectæ, cum conjux, non expectatâ Judicis sententiâ, ante omnia, sit restituendus conjugi spoliato; nisi tales exceptiones spoliatus opponat, super quibus prius est cognoscendum, juxta *c. 1. de ord. cognit. Sanch. c. l. n. 5.*

LXXII. Assertio quinta. Si mulier, quæ propriâ auctoritate à viro recessit, ipsi perenti restitutionem, objiciat commissum ab eo adulterium: tum is, si adulterium notorium non sit, statim plenè restitui debet, etiam quoad torum, priusquam probationes de adulterio audiantur, etiam si illæ incontinenti offerantur à conjuge objiciente; ut ex probabiliori sententia docet *Sanch. lib. 10. de marr. dis. 11. n. 22.* & plures apud ipsum allegari. Ratio est, quia quod allegato impedimento ditimente matrimonii, etiam si probationes ejus incontinenti offerantur, non fiat plena restitutio conjugi spoliati quoad torum, sed prius de exceptione ista cognoscendum sit, id specialiter statutum est in *c. Literas*; 13. *h. r.* propter peccandi periculum, quod incurreret conjux sciens impedimentum, & reddens debitum. Cum ergo in proposito casu objecti criminis adulterii, id periculum non subsistat, ideò plenè restituendus est conjux spoliatus

spoliatus, etiam quoad torum, licet conjux recedens statim paratus sit probare crimen obiectum. Quod autem in presenti nullum subsit periculum peccati, etiam si restitutio fiat quoad copulam carnalem, ex eo patet, quia uxor viro adultero cohabitare, & debet conjugale reddere licite potest; imò spectato foro externo, reddere debet, donec adulterium, veluti legitima causa divortii, probatum fuerit, *Laym. de restit. spol. thes. 28.* Idque confirmatur ex *cit. c. Litteras*; in quo conjux spoliatus, tamen si incontinenti probationes obrulerit, restituitur quoad cohabitationem, & reliqua omnia obsequia conjugalia, excepta copulâ carnali, in qua sola subsit periculum peccati, si probatum fuerit obiectum impedimentum consanguinitatis; ergo, cum in presenti nullum subsit periculum peccati, etiam quoad copulam, plenè ac omnino restituendus est conjux spoliatus, *Sanch. c. l. n. 12.* Sed de hoc plura infra *l. 5. tit. 16.*

LXXIII. Assertio sexta. Si maritus repellens à se uxorem, agat Judicio petitorio contra matrimonium, allegando, illud invalidum esse propter impedimentum dirimens, v. g. consanguinitatem; tum uxor, ante, & post litem contestatam, per modum actionis intentare potest interdictum recuperandæ possessionis, ac petere, sibi restitui virum, ita, ut suspensio Judicio petitorio, prius super possessorio de restitutione uxoris expulsa cognoscendum sit, & postea de impedimento dirimente matrimonii; prout sumitur ex *c. Ex conquestione; 10. h. t.* Nam, cum quidam miles mulierem, Barbaram nomine, in uxorem accepisset, & ex ea filiam suscepisset: eam postea, sine Judicio Ecclesiæ, à se removit, ac litteras à Papa ad Judices delegatos impetravit, ut cognoscant, remota appellatione, de impedimento consanguinitatis dirimente matrimonium. Sed mulier, priusquam à Judicibus citaretur, coram Episcopo ordinario, seu Diocæsano petiit, virum sibi restitui, & ob hoc etiam nuncium misit ad Papam. Postmodum à dictis Judicibus citata, modò per se, modò per procuratorem comparens, ante, & post litem contestationem, virum sibi restitui postulavit. Sed quia Judices, negatâ restitutione (quod fieri non debebat) in causa principali procedere volebant, ideo ad Sedem Apostolicam appellavit. Quare Papa mandavit Judicibus, ut mulieri vir restituantur, & quæ post appellationem acta sunt, in irritum revocentur: & tum demum eandem super impedimento matrimonii cognoscant, ac secundum Canones definiant. Ratio autem, cur per Judicium possessorium *Vnde vi*, posterius intentatum suspendatur petitorium prius inchoatum, quando utrumque instituitur circa eandem rem; ratio, inquam, est; tum quia non debet quis, ante restitutionem, litigare de proprietate rei per vim subtractæ: tum quia alioquin, si spoliator agendo Judicio petitorio, suamque intentionem probando, declinare possit Judicium recuperandæ possessionis, daretur occasio, vel stimulus alios spoliandi: quilibet enim possit spoliare alium, & statim inchoare Judicium petitorium super proprietate rei spoliatæ, & sic prævenire spoliatam. Neque dicas, quod spoliatus contra agentem Judicio petitorio possit excipere, se spoliatum esse, & sic illum repellere à sua petitione; quia per hoc non esset satis provifum ipsi spolia-

to, cum finis exceptionis non sit consequi, sed tantum expellere agentem: adeoque res remaneret penes spoliatorem: quæ rationes cessant, quando utrumque Judicium instituitur super diversa re, *Abb. hic n. 7. Imola n. 3. & 11.*

LXXIV. Notandum hic præterea primò. Conjux contra conjugem petens sui restitutionem, potest eam petere coram Judice Ecclesiastico; ut patet ex hoc c. ubi mulier, antequam actu conveniretur coram Judicibus delegatis Judicio petitorio, repulsa à viro, petiit, se restitui coram Episcopo ordinario: adeoque causa matrimonialis spectat ad Judicem Ecclesiasticum, non tantum, si agatur de substantia, seu valore matrimonii; sed etiam, si de restitutione possessionis, sive de receptione conjugis repulsa, potest eum Ecclesiasticus Judex per censuras compellere, *c. Litteras; 13. in fine h. t. ibi: Ad restitutionem plenariam debet Ecclesiastica censura compelli. Abb. hic n. 2.* Quamvis etiam Judex secularis, si de valore matrimonii constet, compellere possit conjuges ad mutuam fidem servandam, quatenus est etiam contractus civilis, *Gl. in c. Non est; 11. V. Scores; ibi: per officium Judicis, vel Episcopi loci de Sponsal. Sanch. l. 9. de matr. dif. 4. n. 6. & 7.*

Notandum secundò. Licet petitorium Judicium sit prius intentatum super impedimento v. g. consanguinitatis, si tamen possessorium intentetur super eadem re, etiam per viam actionis; tum petitorium suspenditur; juxta decisionem hujus c. cui non obstat *c. 2. de ordin. cognit.* quia illud procedit, quando proponitur petitorium super diversa re, ita, ut possessorium nihil commune habeat cum petitorio prius intentato, *Barb. in collect. hic n. 4.*

Notandum tertio. Et si clausula, *appellatione remota*, apposita sit in litteris delegationis, nihilominus appellari potest à notorio gravamine, seu ex causa manifestè justa; ut colligitur etiam ex hoc c. in quo appellatio mulieris tenuit, tamen si prohibita esset in litteris delegationis; adeoque omnia revocantur, quæ post legitimam appellationem facta sunt, *Gl. hic V. Post appellationem; Abb. n. 5. & Imol. n. 5.*

LXXV. Notandum quartò. Quamvis aliàs actiones, seu petitiones, quæ exceptionem dilatoriam continent, ante litem contestationem, proponi debeant, sicut ipsæ exceptiones dilatoriæ; ut notat hic *Gl. V. Ante ipsius cause*; tamen in odium violenti spoliatoris Judicium possessorium potest suspendere, seu differre petitorium prius inchoatum ab adversario super eadem re; etiam si intentetur post litem contestatam, ante conclusionem causæ, *Arg. Clement. unie. de caus. possess. & propriet. & patet ex hoc c. dummodo non per modum reconventionis, quæ post litem contestatam fieri non potest, sed per modum conventionis, seu actionis principaliter intentetur, etsi secundariò habeat vim quoque exceptionis dilatoriæ: quia hic attendi potius debet, quod principaliter agitur, quam quod secundariò, *Abb. hic n. 8.* Aliam expositionem habet *Gl. Hic; V. Ante ipsius cause; & Imol. n. 8.**

Notandum quinto. Dispositio hujus c. habet locum, non tantum in causis matrimonialibus, sed etiam in aliis causis, in quibus agitur de jure incorporali: nam & in his conventus Judicio petitorio intentare potest interdictum recuperandæ possessionis, ita, ut dilato petitorio, hoc prius sit expediendum,

dum, ut docet *Abb. hic n. 9. & Imol. n. 3. v. g.* si dominus fundi actione negatoria in rem agat contra vicinum prætendentem jus servitutis in suo fundo, ut declaretur nullum ipsi jus actus, aut viæ competere, sed fundum suum liberum esse à servitute: Vel si Capitulares Canonici agant contra Titium simili actione, ut declaretur à Judice nullum ipsi jus capitulare competere: his casibus, reus conventus, ante, vel post litis contestationem, instituere potest actionem Judicii possessorii, seu recuperandæ possessionis, petendo, se restitui in quasi possessionem, quæ per vim spoliatus fuit, dum ad fundum, vel ad Capitulum non est admittus, vel ejectus. Aliud est in rebus corporalibus, in quibus hoc locum non habet: quia in his actor rem vindicans non possidet, sed reus, à quo rem petit sibi dari: ergo reus conventus Judicio petitorio, seu rei vindicatione, non potest contra actorem intentare interdictum recuperandæ possessionis, sive petere, se restitui in possessionem sibi ablatam, cum ipse possideat; aliàs allegaret contraria, & sibi ipsi contradiceret, *Imola in cit. c. Ex conquisitione; n. 3. hoc tit.*

S. IX.

Utrum spoliato agenti interdicto possessorio, Unde vi, opponi possit exceptio criminis?

LXXVI. Assertio prima. Spoliatus agens interdicto *Unde vi*, non potest repelli per exceptionem criminis; sed restitui debet, non obstante objectione criminis; & prius cognoscendum est super spolio, quàm de crimine; prout sumitur ex *c. Item cum quis 6. h. t.* ubi Papa Alexander III. ita rescribit: Si quis queratur apud Judicem, se possessionem suam violenter dejectum esse, vel adversarium clam possessionem intrasse; sed adversarius ei crimen objiciat (quod fieri non debet, quia causa criminis separata est à causa possessionis, *Gl. hic; V. Crimen objicit*) ut eum à sua intentione repellat: talis obiectio non debet admitti, nec executio causæ principalis (scilicet possessorii Judicii, seu restitutionis) propterea impediri, vel differri debet: nam cum reus conventus præsumatur esse inimicus actoris, criminaliter adversus eum agere non potest, ante factam restitutionem. Ratio patet ex textu: quia, qui nos spoliat bonis nostris, eaque tollit, vel occupat, præsumitur inimicus noster: ideoque non permittitur spoliator tanquam inimicus spoliatum criminaliter accusare, antequam sit restitutus.

LXXVII. Ubi tamen distinguendum est cum *Abb. in cit. c. Item si quis; n. 9. & 10. h. t. & Imola in fine.* Nam, vel agenti Judicio, seu interdicto recuperandæ possessionis objicitur exceptio, quæ personam inhabilem reddit ad agendum, ut excommunicatio; & tunc actor non potest intentare Judicium possessorium *Unde vi*, donec fuerit absolutus, *Gl. in r. 3. V. Aliud canonicum; de procurat. Menoch. remed. 1. recup. possess. n. 350. Gabriel commun. conclus. lib. 5. concl. 1. n. 69. ubi n. 70. addit*, quòd saltem ju-

re actionis non possit restitui, etsi possit officio Judicis. Vel objicitur spoliato tale crimen, quod reddit incapacem possessionis; ut, si agenti interdicto *Unde vi*, ad recuperandam possessionem beneficii objiciatur, quod non sit baptizatus; adeoque solum factus Christianus; vel non sit Clericus, quia non initiatus primâ confusurâ: tunc enim suspenditur Judicium possessorium spoliati, & antequam hic restituitur, cognoscendum est, an sit Clericus, cum Clericus sit fundamentum possidendi beneficium. Idemque est, si spoliato objiciatur crimen hæresis, vel læsæ Majestatis, ob quæ crimina ipso jure amittitur rei proprietas, & possessio: adeoque spoliatus non restituitur, *Abb. c. l. n. 9. Menoch. cit. remed. 1. n. 330. & seq. n. 334. & 337. & seq. Gabriel cit. concl. 1. n. 39. & n. 82. & n. 211.* Vel objicitur tale crimen, quod non reddit omnino inhabilem ad possidendum, sed privat proprietate, ac titulo: & tunc, vel ipso facto, eoque notorio, privationem indicit, aut titulum invalidum reddit: hoc casu agenti possessorio *Unde vi*, obstat in causa beneficii exceptio notorii defectus proprietatis, ut, si quis notorie sit intrusus, vel per Simoniacum promotus ad beneficium, restitui non debet: quia Simoniacus non habet titulum, sed ipso jure est privatus beneficio, nec fructus suos facit, *Menoch. c. l. n. 135. & seq. Gabriel cit. concl. 1. n. 194. & seq.* Idemque est dicendum, si excipiens, seu objiciens tale crimen spoliato offerat se ad incontinenti probandum, ipsi nullum jus in beneficio competere: tum enim spoliatus non ante omnino restituendus est, sed prius cognosci debet crimine, *Abb. c. l. n. 11.* Vel denique objicitur spoliato tale crimen, ob quod reus per sententiam Judicis privari potest beneficio acquisito, v. g. homicidium, vel adulterium: & hoc casu per exceptionem talis criminis non suspenditur, aut impeditur restitutio spoliati; quamvis officio Judicis, antequam restituitur, privari possit beneficio, si crimen illius sit notorium, quia frustra ei restitueretur beneficium, quod statim ei iterum adimendum est, *Abb. c. l. num. 10. & Imol. n. 5.*

Porro, quòd dictum est, spoliatum, contra quem spoliator crimen objicit, ante omnia restituendum esse, nec ante restitutionem accusari posse criminaliter, id extenditur, ut procedat, si objiciatur ei crimen per viam accusationis, sive etiam per viam inquisitionis; & sive spoliatus fuerit accusatus à spoliatore, sive ab alio tertio non spoliante; nam etiam contra hunc potest excipere spoliatus, ut prius restituitur, *Menoch. c. l. n. 325. & seq.*

LXXVIII. An autem exceptio criminis possit objici contra agentem interdicto retinendæ possessionis; dubitari potest. Negat Berolius in *cit. c. Item cum quis; n. 8. h. t. Arg. illius c.* Verum hoc loquitur de remedio recuperandæ possessionis; idque statutum est in odium spoliatoris, ut spoliatus ante omnia sit restituendus, quòd cessat in remedio retinendæ possessionis: nisi dicatur, quòd ratio *cit. cap.* ob quam ibi dicitur, spoliatum debere restitui (non obstante criminis exceptione, quia præsumitur facta ab inimico spoliatore) etiam locum habeat in turbatore; quia etiam hic præsumitur crimen objicere ex odio, seu inimicitia, *Menoch. remed. 3. retin. possess. num. 712.*

LXXXIX. Aller-

§. X.

Cui competat, & quando opponi
possit exceptio spolia-
tionis?

LXXIX. Assertio 2. Non solum, si quis vio-
lenter possessione sua dejectus sit, potest agere inter-
dicto, unde vi, non obstante exceptione criminis, ut
dictum: sed etiam, si alius clam possessionem ipsius
intravit, & occupavit, competit ei interdictum, unde
vi, non obstante objectione criminis; ut colligitur ex
cit. c. Item cum quis ibi: Vel adversarium clam posses-
sionem intrasse. h. t. Idque in duobus casibus, ut notat
ibid. Gl. V. Clam, videlicet, si quis Titio absente, nul-
loque alio relicto, qui nomine ipsius possideat, ades,
vel fundum ejusdem clam occupavit, & Titius rever-
sus à clandestino occupatore non admittatur, sed re-
pellatur: vel si Titius suam domum, vel fundum ac-
cedere noluit, quia suspicatus est, aut timuit, se ab
eo repellendum, tunc ex eo tempore, quo non est ad-
missus, vel quo judicavit, se corporalem possessionem
recuperare non posse, civilem etiam possessionem so-
lo animo retentam amisit: ideoque veluti spoliatus
esse censetur, ita, ut interdicto, unde vi, agere possit. l.
Clam possidere. 6. §. Qui ad nudinas. ff. de acquir. poss.
ubi dicitur, quod talis clandestinus occupator, qui
Dominum revertentem non admisit, magis vi, quam
clam possidere intelligitur, ubi Gl. V. Magis ait, id com-
parative accipiendum esse, quia, & clam possidet, sed
non clam tantum, l. 3. §. Siquis nuntiet. l. Eisi; 7. & l.
Si id, quod; 25. §. Quod autem. ff. Eodem. Abb. in cit.
c. Item cum quis; n. 4. h. t. Laym. de restit. spol. thes. 15.
Sed plura de hoc infra.

LXXX. Porro, in cit. c. Item cum quis; 6. h. t.
est sermo de solo interdicto, unde vi, non autem de
interdicto, Quod vi, aut clam, quod non pertinet ad
hunc Titulum, sed ad Tit. ff. Quod vi, aut clam.
loquitur enim de illo, qui dicit, se spoliatum esse, vel
quia possessione violenter dejectus est, vel quia adver-
sarius clam possessionem (à Domino vacuum relicta)
intravit: quod ita intelligendum est, si Dominum pos-
sente venientem non admisit, vel si Dominus non aus-
sus est accedere ad recuperandam possessionem corpo-
ralem fundi, vel domus suae, quia timuit, ne repelle-
retur, junctâ Gl. hic V. clam: in his enim casibus non in-
terdictum, quod vi, aut clam, sed potius interdictum,
unde vi, competit, ut constat ex l. Clam; 6. §. Qui ad
nudinas. ff. de acquir. poss. at verò interdictum, quod
vi, aut clam, non competit propter solam alienae pos-
sessionis rei immobilis occupationem, quia hæc per-
tinet ad interdictum, unde vi: sed cum quid in alieno
solo, vel in proprio quidem, sed cujus possessio ad aliū
spectat, vi, aut clam factum, sive ædificatum est. l. 1.
in princ. & §. Hoc interdictum. ff. Quod vi, aut clam.
Porro, quod in cit. cap. Item, cum quis, is, qui clam
possessionem alterius dicitur intrasse, aliquid in eo
solo ædificaverit, sine omni fundamento asseritur, &
mera divinatio est, cum nulla de eo ibi fiat mentio,
neque id pertineret ad hunc titulum. Quare illa ver-
ba, vel adversarium clam possessionem intrasse, referenda
sunt ad interdictum, unde vi, eo sensu, quo supra ex-
plicatum est. Nicol. Rodrig. in cit. c. Item, cum quis; q.
2. n. 10. h. t. Illud hic addendum, quod in cit. cap.
causa Judicij possessorij vocatur principalis, non in
ordine ad causam proprietatis, sive ad Judicium pe-
torium, quippe quod est principalis possessorio,
sed quia hoc prius expediendum est. Gl.
hic V. Principalis.

Tomus II.

LXXXI. Assertio 1. Si agenti civiliter reus
conventus per modam exceptionis spoliationem ob-
jiciat, non ab actore, sed ab alio factam, eâ non ob-
stante, Judex in causa principali procedere, & eandem
definire debet: aliud est, si criminaliter agatur; nam
in criminalibus causis, si reus à quacunque persona se
spoliatum dicat bonis omnibus, vel majore eorum
parte, conceditur ei ad probandam spoliationem di-
latio xv. dierum, intra quos, si probaverit, se spolia-
tum esse, ita inermis, ac nudus adversario responde-
re non cogitur: alioquin, si non probaverit reus, in-
tra illud tempus, spoliationem, actori in expensas à
Judice taxandas condemnabitur; imò, & aliter, si Ju-
dici videbitur, punietur. Ita habetur in c. Frequens;
1. h. t. in 6. Nam, quia frequenter contingit, ut reus
conventus proponat exceptionem spoliationis,
nempe se spoliatum esse, v. g. à Titio, ideoque non
teneri respondere, nisi prius fuerit restitutus: per
quod factum, ut causæ, & Judicia Ecclesiastica im-
pedirentur, & turbarentur: dum enim exceptio-
ni (spoliationis) insisteretur, & quandoque appella-
tio interponitur, cognitio causæ principalis differ-
tur, & interdum omnino interimitur, & perimitur
(non de Jure, sed de facto, quia multi propter
talia impedimenta à causæ prosecutione desistunt,
Gl. hic V. Perimitur.) Ideo Innocentius IV. finem
litibus imponere, & calumniandi occasiones am-
putare cupiens, in Concilio Lugdunensi statuit, ut,
si in causa civili reus conventus spoliationem ob-
jiciat, non ab actore, sed ab alio factam, eâ non ob-
stante, Judex in causa principali procedat: si verò
reus in causa civili ab actore, vel in criminali ab
alio quocunque se spoliatum esse, asserat, xv. die-
rum spatium (non computato die, in quo proponi-
tur exceptio spoliationis) ei concedatur ad proban-
dum, quod asserit (scilicet se spoliatum in causa ci-
vili ab actore in criminali à quocunque) alioquin, si
infra illud tempus non probaverit, in expensas ab
actore interim factas, præmissâ taxatione Judicis,
condemnetur, & aliter etiam, si Judici æquum vi-
sum fuerit, punietur (penâ scilicet arbitrariâ, cum
certa hinc non sit decreta. Gl. hic V. Punendus.) Por-
ro, in hoc casu, quando criminaliter quis accusa-
tur, is spoliatus cenferi debet, ut proponere possit
exceptionem spoliationis, qui totâ suâ substantiâ,
vel majore parte bonorum, se per violentiam exur-
tum esse, dicit: non enim convenit, ut nudus con-
tendere, & inermes inimicis suis respondere cogan-
tur: habet enim hoc casu spoliatus privilegium,
quod jam nudatus exui non debeat.

LXXXII. Pro explicatione hujus c. Notan-
dum primò. Cum hæc exceptio spoliationis sit dila-
toria, quæ ad processum impediendum opponitur,
ideo prius discuti debet, quàm supra causa principa-
li procedatur. c. Exhibita; 19. de Judicis. & ante li-
tis contestationem proponenda est. Gl. hic V. Peri-
mitur. ita, ut post litem in Judicio petitorio con-
testatam,

Ff

testatam,

testatam, spoliatus non possit excipere de spoliatione. *Barb. in Collectan. in cit. cap. 1. num. 3. h. t. in 6.* Præterquam, si post litem contestationem spoliatio contigerit, vel, tum primum cognita fuisset. *Abb. in cap. 2. de ordin. cognit. num. 53. & 54.* Quamvis aliqui contrarium teneant; ut notat *Gl. hic V. Perimitur; in addit.* Si tamen Judex, postquam de tali emergente exceptione cognovit, ad ulteriora procedat, tacite pronunciare censetur super exceptione illa non admittenda. *Franc. hic n. 2.*

Notandum secundò. Non potest opponi contra agentem civiliter exceptio spoliationis ab alio, quam ab actore factæ, cum enim in hoc actor non deliquerit, factum alterius ipsi obesse non debet. *Reg. jur. 22. in 6.* & peccata suos debent tenere auctores. *l. Sancimus; 22. C. de pæn. Gl. hic V. Ab actore.* Idque procedit, tametsi res spoliata ad agentem pervenerit; adeoque is scienter, & malâ fide rem possideat, quia talis exceptio spoliationis non competit, nisi ei, qui potest agere interdicto, unde vi: atqui contra injustum possessorem, qui non spoliavit, nec spoliari mandavit, non potest agi interdicto, unde vi; sed ex *Can. Sæpe; de restit. spol.* ergo nec talis exceptio opponi potest contra illum; ut post *Jo. Andr. docet Ancharan. hic not. 2. Franc. n. 4.*

Notandum tertio. Quod dictum est, exceptionem spoliationis factæ ab alio, quam actore, in causa civili, non posse opponi ad differendum Judicium petitorium, quò minus de causa principali Judex possit cognoscere, id habet locum, etiam si reus totâ suâ substantiâ sit spoliatus; ut aperte colligitur ex *cit. c. 1. h. t. in 6.* ubi distinguitur inter causas civiles, & criminales, & dicitur, quòd in criminalibus, si reus sit spoliatus omnibus bonis, vel majore eorum parte à tertio, possit opponere exceptionem spoliationis ad impediendum litem ingressum in causa principali: ergo cum id ibi specialiter sit statutum in hoc casu in causis criminalibus, aliud est dicendum in civilibus. *Abb. inc. Olim; 16. n. 6. h. t. Barb. in cit. c. 1. n. 4. eod. in 6.*

LXXXIII. Notandum quattò. Per exceptionem spoliationis repellitur spoliator à Judicio agens civiliter, etiam super alia re, v. g. ex mutuo; vel ex alia causa: neque hoc casu reus civiliter conventus ad intentionem, ac libellum actoris respondere cogitur, donec causa spoliationis cognita, & ipse sit restitutus. *Abb. in cap. 2. n. 3. & 4. de ord. cognit.*

Notandum quintò. Quamvis conventus in causa civili non possit agentem repellere per oppositam exceptionem spoliationis ab alio, quam actore factæ, ut dictum; accusatus tamen, sive conventus criminaliter potest agentem repellere per exceptionem spoliationis etiam à tertio factæ, dummodo reus conventus spoliatus sit omnibus bonis, vel majore parte eorum, quæ in jure ordinariè æquiparantur. Ratio redditur in *cit. c. 1. h. t. in 6. & in c. Oportet; 3. caus. 3. q. 2.* quia bonis suis spoliatus sic inermis non debet objici adversarijs suis, donec sit restitutus: talis enim non habet sufficientes sumptus judiciales, nec invenit homines sibi ita favorabiles: adeoque nec spoliatori, nec alij tenetur respondere super eo, quod ipsi objicitur, nisi prius fuerit restitutus. *Gl. in cit. c. Oportet. V. Nudi.* Accedit, quòd accusatus, sive conventus criminaliter, majore indiget auxilio, quam conventus civiliter. *To. Monach. hic n. 3. & Anchar. not.*

3. Requiritur autem, ut reus criminaliter conventus, tempore, quo agitur Judicium; sit spoliatus omnibus bonis, vel majore eorum parte: nam, si receperit bona sua, quibus est spoliatus, vel majorem eorum partem, cessaret hæc exceptio spoliationis factæ à tertio; sicut à principio non competeret, si quis haberet majorem partem bonorum. Quòd si spoliatio facta sit ab accusatore, tunc requiritur, ut spoliatus integrè sit restitutus, sicut quando agitur civiliter. *Franc. hic §. Illum; n. 3.*

Notandum sexto. Cum exceptio hæc spoliationis, per quam accusatus, seu conventus criminaliter quemlibet agentem repellere potest, sit exorbitans à jure communi, & ordinariè, stricte intelligi debet, nec extendi ultra casum accusationis jure expressum. Quare, si agatur de crimine civiliter ad inter esse agentis, vel per modum inquisitionis ex merito officio Judicis, vel per modum denunciationis Evangelicæ ad penitentiam agendam, non habet locum hæc exceptio: quia secundum Canones hoc beneficium exceptionis tantum concessum est contra accusatores; & sic Papa ipse in *cit. c. 2. h. t. in 6.* interpretatur antiquos Canones, quæ interpretatio jus facit. *Joan. Andreas hic n. 6. & Franc. §. Illum; n. 2.*

LXXXIV. Notandum septimò. ut hæc exceptio spoliationis contra agentem criminaliter non spoliatorem à spoliato opponi possit, requiritur, ut exutus sit omnibus bonis, vel majore eorum parte per violentiam; ut patet ex *cit. c. 1. ibi: & per violentiam destitutum h. t. in 6.* Secus ergo, si per dolum, vel alio modo, citra vim expulsi vim, bona amiserit. *Franc. hic in §. Illum; n. 2. not. 3.* ex quo patet, quòd ratio hujus constitutionis expressa in *cit. c. 1. Ne nudi consider. & inermes se adversarijs suis opponere debeant;* non sit finalis principalis, seu ad æquata, & unica: sed id insuper statutum fuit propter gravitatem causarum criminalium, & simul in favorem spoliati per vim, unde etsi, quando quis per dolum est spoliatus bonis suis, militet quoque ratio in *cit. c. 1.* expressa, cessat tamen favor spoliati, quæ est altera ratio hujus decisionis. *Barb. in Collect. in cit. c. 1. n. 13. h. t. in 6.*

Notandum octavò. Si reus, sive civiliter conventus ab actore, sive criminaliter à quocunque, se spoliatum esse, dicat, excipiens contra agentem, tenetur hanc suam exceptionem probare intra 15. dies: alioquin actori in expensas condemnabitur; ut habetur in *cit. c. 1.* est autem hoc tempus continuū, & currit ipso jure, statim post exceptionem admittâ, quia est dilatio à lege concessa. *To. Andr. in cit. c. 1. & Barb. ibid. n. 12.*

LXXXV. Porro, quod supra dictum est, accusatum de crimine, sive conventum criminaliter posse opponere exceptionem spoliationis à quocunque factæ, id limitandum est; nisi crimen sit notorium: quia hæc exceptio reo conceditur ad se defendendum; ne alioquin nudus, & inermis contendere cogatur. Si ergo delictum notorium sit, ita, ut appareat, nullam reo defensionem competere posse, non potest reus opponere hanc exceptionem; quia propter notorietatē delicti repellitur quis à petitione restitutionis; ut tradit *Alexand. de Nevo in c. Proposuit; 24. n. 4. de appellat.* Quare hoc casu, neque juris ordo servari debet, sed citato, & audito reo, postquam Judex declaravit, delictum esse notorium, ad executionem procedi potest. *Laym. de restit. spoliat. thes. 31.*

LXXXVI. Allet-

LXXXVI. Assertio 2. Si criminali actione conventus, seu accusatus spoliationem à tertio, id est, ab alio, quam ab accusatore, factam objiciat, (postquam is intra 15. dies spoliationem probavit) Judex temporis terminum ei præfiget, intra quem spoliatus restitutionem in Judicio petat: Quod si intra hoc tempus (arbitrio Judicis definitum, cum in jure certum non assignetur) restitutionem non petierit, aut causam, cum potuerit, ad finem non perdixerit, non obstante spoliationis exceptione, deinceps poterit accusari, & accusatori suo respondere cogitur. Ita habetur statutum in cit. cap. 1. §. Solet autem; h. t. in 6. Ratio est, quia Judex, in quantum potest, cavere debet, ne Judicium coram se agitatum eludatur, cum malitijis hominum non sit indulgendum. cap. Significante; §. Qui matrim. accus. possess. si autem excipitur contra suum accusatorem de spoliatione facta à tertio, non præfigeretur certum tempus à Judice, intra quod restitutionem peteret, spoliatus accusationem posset eludere: ideo æquitati, & juri consonum est, ut post elapsum terminum (dummodo per ipsum steterit, quò minus restitueretur) non obstante exceptione spoliationis, possit accusari; ut habetur in textu. Et sic potest aliquis compelli ad agendum, non præcisè, & sine omni causa, sed ad hoc, ut excipere possit; sicut in proposito, ut spoliatus possit excipere de spoliatione, potest cogi, agere contra spoliatorem. Gl. hic V. Estimamus. Barbos. ibid. in Collect. §. Solet; n. 12.

LXXXVII. Assertio 3. Contra agentem in causa Ecclesiastica non potest opponi exceptio spoliationis rei privatae; neque vice versâ, agentis in causa rei privatae ob stare debet exceptio spoliationis rei Ecclesiasticæ; prout habetur in cit. c. 1. §. ad hoc ult. h. t. in 6. Rationem hujus decisionis dat Gl. hic V. Opponatur. quia agens nomine Ecclesiastico non agit jure suo proprio, sed nomine Ecclesiæ, & vicissim agens nomine privato, non agit nomine Ecclesiæ. Vnde, sicut Procurator agens nomine alieno de jure suo non excipit, sed de jure Domini, & nomine ipsius. l. Si Procurator; §. ff. de doli except. sic nec agens de re Ecclesiastica excipit de re privata, nec vice versâ agens de privata excipit de re Ecclesiastica. Præterea res Ecclesiastica censetur, esse publici juris. Arg. l. 1. §. Hujus studii. ff. de justit. & jure, & l. fin. C. de SS. Eccles. Publici autem cum privato non fit compensatio, l. 2. & 3. C. de compensat. nec vice versâ privati cum publico, nisi in pœnam, aut necessitate exigente: ideo etiam exceptio de uno ad aliud non fit, & per consequens neque de re Ecclesiastica ad rem temporalem, nec è contrario de hac ad illam. Barbos. in Collect. in cit. §. ad hoc. n. 20.

LXXXVIII. Ubi Notandum primò. Nomine rei Ecclesiasticæ intelligitur hic in primis, quæ propriè spiritualis est, ut matrimonium, jus decimandi, administratio Sacramentorum &c. ut tradit Hostiensis. & Jo. Monach. hic. Quare, si mulier petat sibi reddi virum, quia matrimonium cum illo contraxit, non potest is opponere exceptionem spoliationis rei temporalis contra mulierem, quòd ipsum spoliaverit pecunijs, suis. Item, si Parochus petat à Parochiano suo, ut reddat pecuniam ipsi à se mutuo datam, non potest hic excipere contra Parochum, quòd sibi voluerit administrare debita

Tomus II.

Sacramenta; adeoque ipsum jure suo spirituali spoliavit: sicut nec vice versâ, si Parochianus objiciat Parocho, Sacramenta sibi ab ipso denegata esse, potest Parochus exceptionem opponere, quòd prædio suo, vel aliâ re temporali ipsum spoliavit. Ratio est, quia exceptio spoliationis nititur hac æquitate naturali, quòd spoliatus non teneatur spoliatori reddere, quod eidem debet, nisi priùs ipse spoliator restituat, quod abstulit; adeoque ista exceptio habet vim cujusdam compensationis: hæc autem non habet locum, nisi inter aliquo modo similia, & non inter omnino disparata, & quæ diversi generis sunt, l. 1. & 3. C. de compensat. Excipitur tamen, nisi res temporalis proportionem quandam habeat cum re spirituali; tunc enim opponi potest ista exceptio spoliationis. Ut, si v. g. Parochus decimas exigat à Parochianis, possunt isti excipere, quòd ipse negligens sit in celebratione Divinorum, vel noluit ipsis administrare debita Sacramenta; ideoque merito etiam ipsi denegari decimas, quippe, quæ dantur Parocho propter celebrationem officiorum Divinorum, & administrationem Sacramentorum. Franc. hic in §. Ad hoc num. 2. Laym. de restit. spoliat. thes. 32.

LXXXIX. Notandum secundò. Nomine rei Ecclesiasticæ hoc loco non tantum intelligi debet res intrinsecè spiritualis, sed etiam, quæ temporalis est secundum se, verum ad Ecclesiam, Monasterium, vel alium locum pium spectat; nam tunc etiam opponi potest exceptio spoliationis: si verò res aliqua sit in se temporalis, & ad Ecclesiam, seu alium locum pium non spectet, sed ad laicos, vel etiam ad Clericos, sed, ut privatae personæ sunt, ea privata res, vel causa censetur, nec exceptio ista spoliationis opponi potest; prout in hoc cap. 1. §. ult. statuitur, quòd agenti super re Ecclesiastica, v. g. domo, vel fundo pertinente ad Ecclesiam, non possit opponi exceptio spoliationis, quòd reus vicissim spoliatus fuerit re suâ privatâ, quam ut propriam possidebat; nec vice versâ. Franc. hic n. 2. v. g. si Episcopus, vel Parochus, non Ecclesiæ, sed suo nomine, laicum spoliavit fundo suo, & postea idem Episcopus, vel Parochus agat contra laicum, ut reddat, quod eidem Ecclesiæ debet, non potest laicus conventus opponere exceptionem spoliationis factæ ab Episcopo, vel Parocho, non tanquam à Prælato, vel Rectore Ecclesiæ, sed tanquam à persona privata; & è converso, si laicus Ecclesiam spoliavit fundo suo, & postea agat contra Episcopum, vel Parochum, petendo ab eo, ut restituat, quod ipsi debet, nomine proprio, ac jure privato, non potest laicus repelli per exceptionem spoliationis ab eodem factæ, quia ille non spoliavit Ecclesiam jure suo, sed Episcopum, & Parochum, tanquam privatas personas: res autem propriæ, ac privatae personarum Ecclesiasticarum, etiam Episcoporum, non censentur esse res Ecclesiæ, sed potius res privatæ; ideoque non competunt eis privilegia, quæ principaliter bonis Ecclesiasticis concessa sunt, in favorem Ecclesiasticarum, & non particularium personarum Ecclesiasticarum, ut alibi dictum. Vnde neque hæc exceptio spoliationis datur, nisi facta sit spoliatio rei Ecclesiasticæ pertinentis ad Ecclesiam; ut patet ex cit. c. 1. §. ult. h. t. in 6. Jo. Monach. ibid. n. 9. Jo. Andr. n. 6. Anchar. not. 10. & Franc. n. 2.

Ff 2

XC. Neg

XC. Nec obstat *cap. 2. de ord. cognit.* quia ibi utrinque fuit actum, non de re propria, aut privata Clerici, sed de re pertinente ad Ecclesiam; nam fuit opposita exceptio spoliationis rei Ecclesiasticæ contra agentem super re Ecclesiastica: castrum enim illud, quoad dominium directum, & proprietatem, pertinebat ad Monasterium, manente utili dominio, sive jure feudi, vel Emphyteuseos penes Nobiles, ut ipsi asserbant, ideoque locum habebat exceptio spoliationis: in hoc autem *c. §. fin.* est sermo de reo excipiente, se spoliatum esse re suâ propriâ; quæ exceptio non obstat agenti super re Ecclesiastica; ut ex dictis patet. *Franc. in cit. cap. 2. §. fin. n. 2.* ubi ait, hunc esse verum, & meliorem intellectum hujus §. *Barbof. in Collect. ibid. num. 21.* Plura de exceptione spoliationis dicta sunt supra *tit. 10. n. 9.*

S. XI.

An, & quando violentum, aut iniustum in vasorem, vel detentorem rei, propriâ auctoritate, expellere liceat?

XCI. Assertio 1. Siquis clam, absente Domino, & neminem, qui suo loco possideret, relinquente, ædes, aut fundum alterius ingrediatur, & occupet; vel, si per vim Dominum, vel possessorem ex ædibus, aut fundo expellat; tum is potest clandestinum, & iniustum, aut violentum in vasorem, si abscedere nolit, etiam per vim expellere; dummodo non ex intervallo, sed incontinenti id fiat, & modus iusta defensionis non excedatur: nec sic repulso, vel ejecto competit interdictum possessorium contra Dominum repellentem, vel ejicientem. Ita habetur in *l. 1. junct. Gl. V. Ad defendendam possessionem. C. vnde vi. ibi: Defendere dicitur, etiam si recuperet incontinenti possessionem, quâ est dejectus.* Idque sumitur etiam ex *c. Olim; 12. h. t.* Nam Episcopus Fridonenfis Fratibus Humiliatis domum Calventiæ, & quasdam possessiones agrorum concessit, eâ conditione, ut in eo fundo, nomine Episcopi, Hospitale, & Oratorium extruerent, & ex eistres solidos aureos nomine census ipsi solverent: & Prælatus, seu Rector ibi præficiendus investituram ab Episcopo acciperet, ac pro se, & fratribus suis obedientiam manua-lem (id est, sine scriptura. *Gl. in c. His, quæ; 11. P. Obedientiam; de major. & obed.*) sibi, & successoribus suis præstarent; manente tamen dominio loci penes Episcopum. Sed Magister militiæ domum Calventiæ affectans habere, unâ cum possessionibus, ita Humiliatos circumvenit, ut in scio Episcopo, se, & sua in manus ipsius traderent, eâ tamen conditione adjectâ, si Episcopo, & Capitulo Fridonenfi id quoque placuerit, sine quorum assensu se nihil facere posse, asserbant: quam conditionem etiâ Magister accepit: sed mox ad domum accedens, multa ex eo loco asportari curavit. Quod intelligens Episcopus, ipse quoque ad domum venit, unâ cum Canonicis, & quos in ea, custodia causâ, à Magistro militiæ relictos reperit, per vim ejecit (prout habetur in integra lectione hujus c.) qui propte-

rea coram Judicibus delegatis, se in possessionem domus, & agrorû, quibus spoliatus fuit ab Episcopo, restitui postulavit. Causâ hac delatâ ad Papam Innocentium III. is respondit, Magistrum restitutum non esse, partim, quia dicta domus ab Humiliatis tradita fuit sub conditione, si Episcopus confenserit, quod tamen postea factum non est: partim, quia idem Magister, ignorantibus Episcopo, & Canonicis, clam, & injuste domum Calventiæ possessionem occupavit, sciens, illam ad Humiliatos pertinere, & ipsos quæstionem sibi mortuos, suspicari debuerat; ac proinde statim vim vi repellendo, eundem licite ejicere poterant. Quare Papa Procuratorem Episcopi, & Capituli, ipsorum nomine, ab impetitione Magistri militiæ, quoad faciendam restitutionem, quam petebat, abolvit: ita tamen, ut si fortè Episcopus, & Capitulum in defendendo jure suo contra Magistrum militiæ modum excederent, pro injuriâ ipsi, & domui, seu familiæ ejusdem illarâ, debitam satisfactionem præstent.

XCII. Ex quo patet, cur in casu hujus c. denegata fuerit Magistro militiæ petita restitutio in possessionem domus, quâ vi dejectus fuerat ab Episcopo, quia non conceditur interdictum recuperandæ possessionis ei, qui in possessione rei non fuit: privatio enim supponit habitum, spoliatio possessionem: Magister autem militiæ non possidebat civiliter domum, quæ non nisi sub conditione ipsi tradita fuit, neque consensus Episcopalis, qui tamen postea non accessit: adeoque conditio non evenit: unde ipse probare debuisset, se legitime possedisse domum illam, & eâ spoliatum fuisse, quorum prius probare non potuit. *Gl. hic V. Restitutionem.* Nam Episcopus erat in civili possessione domus; quandoquidem Humiliati eam possidebant nomine Episcopi, qui proprietatem sibi reservavit: ideoque hic poterat Magistrum clam, & injuste domum illam occupantem, & sibi usurpantem, vim vi repellendo, incontinenti expellere. *l. 3. ff. de justit. l. 1. §. Vm vi. ff. de vi. c. Significasti; 18. de homicid.* ubi dicitur, vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittunt, cum moderamine tamen inculpatae tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propullandam.

XCIII. Porro, prædicta assertio, quod licitum sit violentum in vasorem vi repellere, procedit Primò de rebus soli, seu immobilibus: nam, si quis v. g. per vim te expellat ex ædibus tuis; tu amittis quidem corporalem possessionem, non tamen civilem, quam animo adhuc retines: ideoque eam incontinenti defendere per vim etiam potes ab injusto spoliatore: imò non tantum resistere permillum est, nequis dejectus, sed, etsi dejectus quis fuerit, eundem dejicere. *l. 3. §. Eum igitur. ff. de vi.* ubi additur, Dummodo sciamus, non solum resistere permillum esse, sed, etsi dejectus, quis fuerit, eundem dejicere, non ex intervallo, sed ex continenti: idem habetur in *l. Qui possessionem; 17. ff. eod.* Item, si quis clam, te absente, nulloque alio relicto, qui nomine tuo possideat, ædes tuas, aut fundum occupavit, amissâ corporali possessione, retines adhuc civilem: ad quam proinde revertendam, & recuperandam naturalem possessionem, posteaquam reversus es, aggredi potes clandestinum occupatorem, qui, si justus abscedere, vel te revertentem admittere nolit, tunc actualiter, & per vim turbare, & insultare

centetur civilem possessionem tuam, imò, & eadem te spoliare; idèòque incontinenti vim vi repellere potes. *l. Clam; 6. §. Qui ad mundinas. ff. de acquir. poss. Menoch. Remed. 3. de retinend. poss. n. 29.*

Si verò quis, postquam dejectus est, vel possessionem fundi, aut ædium vacuum ab alio occupatam esse, cognovit, mox aggrediatur, & intendat recuperare possessionem corporalem in iudicio; tum, quia civiliter adhuc possidet (si nolit clandestinum, aut violentum possessorem vi repellere, uti possit; sed male id fieri iudicis auctoritate) interdictum *Uti possidetis*, seu retinendæ possessionis intentare potest, *cit. §. Qui ad mundinas; ff. De acquir. poss. & aperte colligitur ex §. Sed interdictio; Infit. de interdict. §. l. 1. §. ult. junct. Gl. ff. Vi possidet. & tradit Menoch. cit. remed. 3. n. 32.* Veruntamen actio hujus interdicti habebit effectum restitutorium, cum turbatio hoc casu cessare nequeat, nisi restituta possessione corporali: quia hoc ipso, quòd hanc alter detinet, turbatur civilis possessio, quam dominus adhuc retinet; sicut notat *Gl. in cit. l. Clam; §. Qui ad mundinas; V. Non clam; Menoch. c. l. n. 26. & 27.* ubi ait, quòd hoc interdictum habet naturam mixtam, nempe retinendæ possessionis civilis, quæ penes ipsum actorem est, & recuperandæ, respectu naturalis possessionis, quam adversarius obtinet: quare Judex pronuntiabit, civiliter possidentem defendendum esse: & quia non potest defendi, nisi restituat ei naturalis possessio, mandabit Judex etiam hanc ei restitui; quæ restitutio per necessariam quandam consequentiam fieri debet: quia non desinit turbare civilem possessionem, qui naturalem non restituit, *l. Si duo; 3. in prin. ff. Vi possidet. & jam dictum.* Debet autem in hoc interdicto retinendæ possessionis actor allegare, & probare, se dudum possedisse, & adhuc possidere saltem civiliter, sed turbari, ac molestari ab adversario; idèòque petere se, ut ipse declaratur legitimus possessor, & adversarius jubeatur cessare à turbatione, & deserere corporalem possessionem, si eam habeat: insuper refarcire omne damnum, & prestare lucrum cessans, unà cum fructibus ab ipso perceptis, ac denique cavere de non molestando in posterum, *V. Fensb. de act. §. Interdict. c. 12. n. 24. Laym. de restit. spol. thes. 17.*

XCV. Secundò. Tradita doctrina etiam locum habet in rebus mobilibus: nam si v. g. alicui equus auferatur, potest dominus raptorem persequi, & si necesse sit, adhibitis armis, per vim equum recuperare, *l. 1. C. Quando liceat unic. sine Judic. &c. donec raptor in locum tutum se cum equo receperit; tunc enim vim adhibere non licet, si iudicis auctoritate recuperari possit, Laym. l. 3. Th. mor. tract. 1. c. 7. n. 8.* Nam, cum dominus possessionem equi, etiam civilem, seu per legem sibi concessam amiserit, iam vim non patitur, quam propulsare licet; sed vim patius est, quam vindicare propriam, seu privatam auctoritate non est permittum, sed debet quis coram iudice instituire actionem furti, aut vi bonorum raptorum, vel ad exhibendum, *l. 1. §. Illud utique; ff. De vi.*

Tertiò. Eadem repulsio violentiæ etiam locum habet in rebus incorporalibus, videlicet iuribus, ac servitutibus: nam, si quis v. g. electioni capitulari se ingerere, itaque quasi possessionem juris eligendi

acquirere velit, & post monitionem cedere nolit, per vim potest repelli, vel ejici, servatâ moderatione inculpatæ tutelæ: & vice versâ, si in possessione eligendi existat, potest etiam per vim se ingerere ad eligendum; ne possessionem amittat; quamvis etiam talis, cum possessionem civilem non statim amittat, contra turbantes in illa interdicto retinendæ possessionis experiri possit, ut ex dictis patet. Similiter si quis prohibeatur exercere actus jurisdictionis, in cuius possessione existit, vel uti jure servitutis, v. g. si ire, vel jumentum, aut vehiculum agere per fundum alterius, vel pascua depascere, exercitum traducere prohibeatur; tum non tantum contra eos, qui personaliter resistunt, se defendere potest, sed etiam & multò magis contra obstacula realia, & infringere muros, percurrere sepes &c. cum enim civis iusto possessori liceat jus possessionis suæ tueri, licebit etiam ea agere, quæ ad defendendum jus suum sunt necessaria, cum debita moderatione, *Abb. in c. 1. de immunit. Eccles. n. 6. Laym. cit. c. 7. n. 8. §. Præterea; & de restit. spoliat. thes. 18.*

XCVI. Ceterum in proposito, in continenti aliquid fieri dicitur, & non ex intervallo, si priusquam ad alios actus extraneos, seu ad rem non pertinentes progressum sit, sive nullo ejusmodi actu interposito, spoliatus statim aggrediatur vim vi repellere, saltem parando media necessaria, etiam multum temporis, spectatâ causâ gravitate, interea intercesserit. Quare, si alicui per vim apertam, aut rapinam equus v. g. auferatur, vel si quis ædibus suis ejiciatur, tum statim, cum potuerit, se defendere debet, raptorem persequendo, ejicienti verò resistendo: quamprimum verò spoliatus desistit ab attentata persequutione raptoris, aut spoliatoris, vel à resistentiâ; tum ille possessionem etiam civilem amisit, ita, ut postea non amplius violentiâ (quippe quæ jam non ad defensionem, sed ad vindictam spectaret, quæ privata auctoritate fieri nequit) sed iudicio, seu interdicto non retinendæ, sed recuperandæ possessionis, aut vi bonorum raptorum experiri debeat. Similiter si quis clam ingressus alienum fundum, vel domum, domino, aut legitimo possessore absente, occupavit, necesse est, ut re intellectâ, dominus, aut possessor non cesset parare media necessaria ad recuperandam possessionem corporalem in iudicio, vel extra iudicium; alioquin animum despondisse, & civilem quoque possessionem amisisse censetur. Sin verò statim, secundum moralem rei estimationem, cum amicis consulat, Advocatos constituat, arma præparet, aliæque necessaria ad recuperandam suam possessionem, etiam si fortè plures menses, imò & annos, secundum gravitatem causæ, seu negotii, in præparando infumat, retinet possessionem civilem, & vim vi repellere poterit, juxta *l. 1. §. Vim vi; ff. De vi, & l. 1. C. Vnde vi; Innocent. in cit. c. Olim; 12. n. 8. h. t. & ibid. Abb. n. 10. Gail. l. 1. de pace publ. c. 16. n. 15. & 16. Laym. de restit. spoliat. thes. 16.* Et universim loquendo, arbitrio iudicis relinquendum est, quando quis censetur defensionem incontinenti facere, consideratâ qualitate personæ deicientis, ipsius dejectionis, & rei ablatae, vel invasæ, *Abb. c. l. Gail. c. l. n. 14.* Requiritur tamen, ut vis, seu violentia ad defendendam possessionem, aut injustum invasorem repellendum, inferatur, cum moderamine inculpatæ

culpata tutela, *cit. l. 1. & ibi Gl. V. Moderatione*; C. *Vnde vi*, nempe, ut non sit major resistentia, quam quanta videtur necessaria, prudentis viri arbitrio, ad defensionem possessionis, vel juris sui. Sin autem major vis, aut resistentia fiat, quam necessaria sit ad defensionem; tum illa non erit legitima defensio, sed potius vindicta, & injuria, quæ non est permilla privatis: ideòque ejusmodi vim inferens obligatus erit ad satisfaciendum, & damna injustè illata resarcienda, *Abb. c. l. n. 15. de quo plura alibi.*

XCVI. Assertio secunda. Si colonus, aut inquilinus, & quicumque rem precario tenet, finito locationis, aut concessionis tempore, rem restituere domino nolit, censeretur eum vi spoliare, ac proinde eam dominus per vim expellere potest; prout sumitur ex l. *Colonus*; 12. ff. *De vi*; l. *Conductores*; 34. C. *de locat.* & l. *Non abs re*; 10. C. *Vnde vi. Menoch. remed. 11. recip. poss. n. 2. Gail. 2. obs. 75. n. 1. Laym. de restit. spoliat. thes. 19.* Neque opponere potest colonus, seu conductor contra locatorem exceptionem competentis sibi dominii; sed ante omnia restituere debet possessionem, & postea de proprietate litigare, l. *Si quis*; 25. C. *De locat. Menoch. c. l. n. 4. & 5.* quia disputatio illa non ad possessorem, sed ad petitorium Judicium pertinet: spoliatus autem, ante omnia, est restituendus, c. *In literis*; 5. & c. *Conquerente*; 7. h. r. *Gail. c. l. num. 1. & 2.* Excipie, nisi colonus, aut conductor justam retinendi causam habeat; quia scilicet expensas necessarias, aut utiles in rem fecit, quæ ipsi nondum restituta sunt: ideòque neque ipse rem restituere tenetur; ut tradit *Gl. recepta in cit. l. Colonus*; V. *Propter justam*; *Menoch. cit. l. ne 6. & 7.*

XCVII. Idque extenditur primò. Quòd non solum colonus, seu conductor, sed etiam tutor, curator, negotiorum gestor, depositarius, commodatarius, usufructuarius, vel usufructuarius, & universim omnes, qui alieno nomine rem tenent, eam restituere debeant, nisi justam retinendi causam habeant; alioquin spoliare censentur; ut tradit *Gl. magna communiter recepta*; in cit. l. *Si quis*; C. *de locat.* & *Bald. ibid. in addit. n. 6. Laym. de restit. spol. thes. 19.*

Extenditur secundò. Quòd etiam dominus colonum, seu conductorem, si pensionem solvere intermitterat, l. *Æde*; 3. & *ibi Gl. In casu*; C. *De locat.* imò etiam emphyteutam, si canonem, seu pensionem per triennium non solverit, neque moram, ut potest, innox purgaverit, post declaratam caducitatem ab eo incursum, potest proprià auctoritate expellere, tanquam qui pactum non servavit, juxta l. 2. & *ibi Gl. V. Repellere*; C. *De jure emphyteut. & c. ult. junct. Gl. V. Expelli infr. de locat.* Item potest dominus, proprià auctoritate, expellere emphyteutam, si alienavit, sine ejus consensu, rem emphyteuticam, *Clar. l. 4. sent. q. 11. in addit. lit. 6.* Atque hæc quidem procedunt, spectato juris rigore: nam per accidens, ob scandalum vitandum, si colonus, aut emphyteuta resistat, Judicis potius auctoritate expelli debet, dummodo justitia eo loco administretur; ut notat *Clarus cit. loc. q. 11. ubi in fine addit, tutius, & melius esse id facere Judicis auctoritate.* Quin imò generaliter loquendo, saltem in foro conscientia, contra legem charitatis ageretur, si quis depositarium, conductorem, precario utentem re, colonum, imò etiam injustum invasorem armis expelleret, cum, vel per viam

Judicii, videlicet per interdictum possessorem, vel per alium mitiorem modum in possessionem se restitui possit, nisi in Judicio, sine magnis molestiis, recuperari non posset, *Less. l. 2. de just. c. 9. n. 69. & 70. Laym. cit. c. 7. n. 8. in fine, & de restit. spol. thes. 20.*

XCVIII. Postremò, si colonus, aut pensionarius, qui pensionem tanquam debitam aliquoties solvit, postea ex obligatione solvere recuset, competit contra eum domino interdictum *Vnde vi*, saltem, si pensio non ex personali obligatione, sed ratione rei præstari solita sit; quia censetur dominum spoliare possessione juris exigendi pensionem, in qua habitus fuerat, c. *Querelam*; 24. de elect. & *ibi Innocent. n. 3. Abb. in c. Pervenit*; 5. n. 3. de censib. *Menoch. remed. 1. de recuper. poss. n. 87. Laym. de restit. spoliat. thes. 21.* addit tamen *Menoch. c. l. non competere interdictum Vnde vi*, contra negantem præstare pensionem annuam personalem, quia tunc non datur possessio, à qua dici is possit verè esse dejectus. Verum illi communitur contrarium tenent, nempe, quòd etiam in personalibus pensionibus, si quis sit obligatus ad pensionem annuam solvendam, & aliquandiu solverit tanquam debitam, sed postea recuset, possit is, cui debetur pensio, tanquam spoliatus intentare interdictum possessorem *Vnde vi*, saltem utile, ut restituitur, ipsique pensio negata solvatur, juxta c. *Querelam*; 24. de elect. ubi absolutè dicitur, ab Ecclesia Saluatoris annuatim per multa tempora solutam fuisse pensionem; sed postea, vel semel denegatam; & condemnatur debitor pensionis ad porrò solvendum, solvã tamen questionem proprietatis, *Innocent. ibid. n. 3. & Laym. n. 6. & alii apud ipsam. Sed de hoc plura infra lib. 3. tit. 39.*

§. XII.

An aliquando, proprià auctoritate, possit quis capere possessionem, etsi corporaliter illam antea non apprehenderit?

XCIX. Assertio prima. Possidens rem civiliter tantum, naturali possessione penes alium existente, potest, proprià auctoritate, occupare naturalem possessionem vacantem, v. g. per mortem usufructuarii, vel coloni &c. etiam sine licentia illius, qui rem concessit; prout sumitur ex c. *cum venisset*; 9. h. r. Nam Archiepiscopus Eboracensis Ecclesiam quandam parochialem, vivente ejus Rectore, concessit, & incorporavit Ecclesie alicui Collegiate, eamque concessionem in scriptis confirmavit, ita ut post mortem Rectoris, omnes reditus illius parochie pervenirent ad Ecclesiam Collegiatam: interim verò Rector auctoritate ejusdem Archiepiscopi pensionem annuam Ecclesie Collegiate solveret, eamque concessionem Papa suã auctoritate confirmavit. Mortuo Rectore Ecclesie parochialis, Canonici Ecclesie Collegiate sibi timentes ab Archiepiscopo, & alio quodam Clerico, qui parochiam illam affectabant, non requisitã auctoritate Archiepiscopi, possessionem Parochie sunt ingressi, sed

sed mox omnibus rebus, quas Rector moriens Canonici reliquerat, ab Archidiacono sunt spoliati, eo quod sine ipsius concessione possessionem Parochia acceperunt; prout habetur in integra lectione hujus c. (nam de Jure communi ad Archidiaconum spectat possessionem Ecclesiarum tradere, c. *Ad hanc*; 7. de offic. Archid.) Controversia hac per appellationem delata ad Papam Alexandrum III. is respondit: cum Canonici a Rectore parochialis Ecclesia, dum viveret, auctoritate ejusdem Archiepiscopi, annuam pensionem perceperint; quamvis eo mortuo, sine auctoritate ejusdem Archiepiscopi eam occuparint, non tamen ingressos esse vitiosam possessionem illius, cum, sicut jure cautum est, is possideat, cujus nomine possidetur.

Ratio hujus decisionis est, quia Ecclesia Collegiata tanquam jus proprietatis habenti in Parochia ipsi, cum omnibus juribus, auctoritate Archiepiscopi incorporata Parochus nomine Parochia annuam pensionem solvit, per quam pensionis acceptionem Ecclesia Collegiata acquiritur fuit civilis possessio Parochia, & jurium illius: ideoque mortuo Parocho tanquam usufructuario, Capitulares Ecclesia illius Collegiata capere etiam poterunt possessionem naturalem illius Parochia, quae tunc vacabat, propria auctoritate, & sine licentia Archiepiscopi, & multo magis Archidiaconi, ita, ut plenam possessionem, & perceptionem omnium reddituum haberent; cum non nisi juris sit, quod extincto jure usufructuarii, consolidatur usufructus cum proprietate, sive ad hanc revertatur, §. *fin. Institut. de usufruct.* & si habens civilem possessionem rei ingrediatur naturalem vacantem, non censetur de novo acquirere possessionem, sed prius acquisitam continuare; cum naturalis, seu corporalis possessio sit accessoria civili, *Abb. hic n. 7.*

C. Hinc colligitur primo, quod Parochus, vel alius Beneficiarius, postquam jus beneficii consecutus, in eoque institutus, vel confirmatus est, possit agere interdicto recuperanda possessionis contra eum, qui Ecclesiam spoliavit, recusando v. g. pensiones debitas, vel decimas solvere, tamen ipse possessionem nunquam corporaliter apprehenderit; quia non agit nomine suo, sed nomine Ecclesiae spoliatae, ad quam jus pensionis secundum proprietatem, & civilem ejus possessionem pertinet, cujus Praelatus, aut Parochus legitimus administrator est; ut post Innocent. tradit *Abb. in c. Cum super*; 4. n. 14. de caus. poss. & *prop.* neque hoc casu opus est, ut Parochus probet, pensionem sibi alias solutam esse; sed satis est ostendere, antecessoribus solutam fuisse, quia non ipse, qui non possidet, sed Ecclesia, quae possidet, agere censetur; ut docet *Mascard. vol. 3. concl. 1323. n. 19. & 20. Laym. de restit. spol. thes. 22.* Excipit, nisi alius sit in possessione pensionem, vel decimas recipiendi; tunc enim Praelatus, vel Parochus, nec quidem post occupatam possessionem beneficii, potest a colonis, vel Parochianis exigere pensiones, aut decimas; adeoque nec contra illos tanquam substractores agere: quia alterum, qui est in possessione exigendi pensiones, aut decimas, spoliare censetur, propria auctoritate, sua quasi possessione, quod non licet, cum effectus possessionis consistat in perceptione fructuum: quare ante omnia necesse est, ut hoc casu Parochus, vel alius Beneficiarius nomine Ec-

clesia agat contra injustum possessorem, ut possessionem abdicet, & Ecclesiae restituat, *Abb. c. l. n. 15. & 17. Mascard. cit. concl. n. 24. & 25. Laym. c. l.*

C. I. Porro Praelatus, Parochus, vel alius Beneficiarius, si nomine Ecclesiae, aut sui beneficii, decimas, vel pensionem exigat, & nondum sit in possessione, titulum probare debet, vel mandatum exhibere, quod id faciat nomine, & loco Ecclesiae; quia nullam habet praesumptionem pro se, quae ipsum ab onere probandi relevet; & eorum, qui decimas, vel pensionem debent, interest; nam solvendo non habenti titulum, vel notorio intruso, non liberantur, sed iterum solvere deberent. Idemque dicendum est, si Parochus, vel alius Beneficiarius sit in possessione juris percipiendi pensiones, vel decimas, sed possessio illius nova, seu recens sit, maxime si de jure dubitetur, aut lis mora sit: quia etiam tunc debet ostendere titulum, cum ex tali possessione non praesumatur titulum, nec bona fides. Secus est, si sit in possessione, eaque antiqua, vel saltem pacifica; tunc enim titulum probare non debet, *Abb. in cit. c. Cum super*; n. ult. de caus. poss. & *prop. Mascard. c. l. n. 1. 2. & 3. ubi num. 4.* addit, recentem possessionem dici, quando quis per unum, vel duos annos tantum in possessione stetit; antiquam autem, si per triennium, juxta *Reg. 33.* Cancellariae Apostolicae: quamvis alias communiter antiqua possessio dicatur, si quis longo tempore fuerit in possessione, veluti per decem annos; tunc enim pensionem petens non tenetur probare titulum, sed satis est, si probet possessionem, & quod communiter habitus sit pro possessore, dummodo etiam praesumptio juris contra ipsum non stet. *Mascard. c. l. n. 5.*

C. II. Colligitur secundo. Quod quis alieno nomine possidet, ut colonus, vasallus, emphyteuta, usufructuarius &c. non censetur proprie ipse possidere, sed potius is, cujus nomine possidet; ut dicitur hic, & in l. *Quod meo*; 18. in princ. ff. *De acquir. poss.* Requiritur tamen, ut is, cujus nomine res possidetur, praeter proprietatem, habeat saltem civilem possessionem rei; ut in casu hujus c. postquam Ecclesia Parochialis, auctoritate Archiepiscopi, incorporata fuit Ecclesiae Collegiatae Canonico, per solutionem annuae pensionis ipsi Ecclesiae Collegiatae acquisita fuit quasi possessio civilis percipiendi pensionem illam, & alios redditus Parochiae, ita, ut Rector Ecclesiae, vel alius Beneficiarius, quoad pensionem, decimas, & alios proventus, sit quasi usufructuarius, quos percipere potest solum ad vitam suam: at vero ipsum jus percipiendi pensionem, decimas, & alios redditus Parochiae, quoad proprietatem, & civilem ejus possessionem, pertinet ad Ecclesiam Collegiatae, cujus nomine ipse Rector Parochiam possidet. Neque obstat, quod possessio non acquiritur, sine animo, & corpore, l. *Quemadmodum*; 2. ff. *De acquir. poss.* Canonici vero Ecclesiae Collegiatae nunquam antea habuerunt possessionem corporalem, seu naturalem Parochiae, & jurium illius. Nam responderetur, quod possessio possit acquiri per actum equipollentem actui corporeo; ut in praesenti per receptionem pensionis auctoritate Archiepiscopi factam translata fuit possessio Parochiae, & jurium illius in Canonicos, etiam si corpore nunquam illam Parochiam antea apprehenderint: ideoque post mortem Rectoris, possessionem

sessionem illius ingredi, propria auctoritate, potuerunt, alioquin si id facere neglexissent, possessionem perdidissent. Requiritur tamen, ut alius non sit in possessione percipiendi pensionem, vel alios redditus parochiæ proprio nomine; tunc enim per solutionem pensionis, ignorante possessore, factam, non esset translata possessio, *Abb. in cit. c. Cum venisset; 9. n. 11. & 13. h. t.*

CIII. Assertio secunda. Si quis causam, seu titulum habeat rei obtinendæ, quia v. g. res sibi vendita, sed nondum tradita fuit, non potest is, propria auctoritate, accipere possessionem rei, sine voluntate ejus, qui illam tradere ipsi debet, alioquin spoliator, ac prædo esse censetur; prout habetur in *l. Si ex stipulatione; 5. & l. Fundi; 33. ff. De acq. possess. & l. Nec ex vera; 9. C. eod.* Quare, si quis v. g. ad Prælaturam, vel aliud beneficium præsentatus, vel electus sit, non potest se, ante confirmationem, vel institutionem factam ab eo, cui id competit,ingere in possessionem, vel administrationem, propria auctoritate, alioquin pro violenter intruso habebitur, ita, ut acta ejus non valeant, neque coloni alique debitores Ecclesiæ liberentur, solvendo tali Prælato; ut tradit *Innocent. in c. Nihil; 44. n. 4. de elect. & ita intrusus repelli debet à possessione, neque repulsus, vel ejectus restituendus est, Menoch. recup. poss. remed. 15. n. 464.* Aliud est, si ad Prælaturam, vel beneficium præsentatus, aut electus, in eodem etiam jam confirmatus, aut verbaliter institutus sit: adeoque jus in re, ac verum titulum, & quasi dominium Prælaturæ, aut beneficii obtinuerit; tum enim, spectato jure communi possessionem ejus vacantem statim ingredi, & administrare potest, *Arg. c. Nōsti; 9. & c. transmissam; 17. & ibi Innocent. n. 1. & c. Nihil; 44. de elect. Abb. in c. Cum super; 4. n. 16. de caus. poss. & prop. nisi Ecclesiæ consuetudo sit, ut verbaliter institutus postea in corporalem possessionem solemniter introducatur, v. g. per Ecclesiæ Archidiaconum, c. Adhuc; 7. de offic. Archid. tum enim ante actualem installationem, administrare non potest, *Abb. c. l. imò contra talem agi potest, ut privetur beneficio, in pœnam vitiosi ingressus; ut colligitur ex c. Eum qui; 18. de præb. in 6. & l. Si quis in tantam; 7. C. Unde vi, Laym. de restit. spol. thes. 23.**

§. XIII.

De aliis duobus remediis recuperandæ possessionis.

CIV. Assertio prima. Si rem alicui per vim injustam ereptam alius quispiam scienter, ac malâ fide acceperit, non datur contra tertium hunc injustum possessorem interdictum *Unde vi*, sed competit spoliato ad recuperandam possessionem conditio ex *c. Sæpe; 18. h. t.* quod est desumptum ex Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. ubi decretum: *Cum Jure civili cautum sit (in l. Cum à te; 7. ff. De vi;) ut spoliatus contra spoliatorem tantum (vel mandantem, aut ratum habentem, l. 1. §. Dejecisse; & §. Sed etsi quod; ff. eod.) non contra alium possessorem interdicto recuperandæ pos-*

sessionis agere possit; & ita sæpe contingat, ut spoliatus commodo possessionis amisso, propter difficultatem probandi, juris proprietatis amittat effectum (scilicet restitutionis propriæ rei suæ, *Hofstien. hic V. Probationum;* quia in petitorio Judicio, sive agendo rei vindicatione, causam obtinere non potest, cum nequeat probare jus proprietatis) idcirco Concilium statuit, ut non obstante juris civilis rigore, si quis rem alicui vi ablata à spoliatore scienter receperit, spoliato per beneficium restitutionis succurratur, eò quod spoliatori succedat in vitium: siquidem quoad periculum animæ sive peccatum, non multum interest inter hæc duo, injuste detinere, & invadere rem alienam.

CV. Pro declaratione hujus c. Notandum primò. Spoliato ad recuperandam possessionem rei à spoliatore in alium translata competit conditio ex *c. Sæpe; 18. h. t.* quæ est actio personalis in rem scripta adversus quemcunque rei per vim ereptæ possessorem injustum, seu spoliationis conscium; sive is rem immediate à spoliatore acceperit, sive is rem immediate à possessore bonæ fidei intermedio, ita, ut res per plures manus ad possessorem ultimum pervenerit, modo hie sciens, rem esse ab initio vi ereptam, acceperit, seu malâ fide possessionem acquisiverit; prout constat ex *cit. c. Sæpe; h. t. & tradit ibid. Innocent. n. 2.* Ratio est, quia durum admodum esset, adversus hujusmodi possessorem non competere aliam actionem, quam rei vindicationem, in qua actor probare debet dominium, seu, se rei petite dominum esse, quod sæpe probatu difficile est: ideo æquitas postulat, ut alio remedio possessorio actori succurratur, & cum non possit contra talem possessorem institui interdictum *Unde vi*, cum ipse nec spoliaverit, nec mandaverit spoliari, aut id ratum habuerit, *c. Cum ad Sedem; 15. in fine h. t. Gl. hic V. Non subvenitur;* ideo novo remedio possessorio, seu condicione ex hoc can. illi subvenitur: quod Jure Canonico introductum fuit ad temperandum Juris Civilis rigorem, quia secundum Canones rigor juris servandus non est, & nimia subtilitas juris quandoque perniciosa est, *Gl. hic; V. Rigor.* Idque etiam necessarium fuit ad tollendum peccatum injustitiæ; cum enim talis possessor injuste rem detineat, sciens, esse alienam, sequitur, quod retinendo rem continue peccet, nisi restituat, cum spoliatori quali succedat in vitium (quia vitium rei sequitur quemvis possessorem, *l. Vitia; 11. C. De acquir. poss. Gl. hic; V. Vitium*) & cum non multum intersit inter injuste detinere, & invadere sive auferre rem alienam, utrumque enim ferè par est injustitiæ, & jura pro eodem reputant, *Gl. fin. hic:* ideo æquissimum fuit, ut non minus remedium recuperandæ possessionis competeret contra hujusmodi injustum possessorem, seu detentorem rei alienæ, quam contra ipsum spoliatorem. Quamobrem, licet hoc remedium possessorium Jure Canonico sit introductum, tamen etiam in foro civili locum habet: quia, cum aliquid decretum, ratione peccati, seu periculi animarum amovendi, id etiam in foro civili, seu seculari inter laicos observari debet; ut notat. *Abb. in cit. c. Sæpe; n. 4. Laym. de restit. spol. thes. 35.*

CVI. Notandum secundò. Hoc remedium possessorium non competit adversus eum, qui bonâ fide

de rem possidet, ignorans eam violenter ereptam, aut occupatam esse, cit. c. Sepe; junct. Gl. V. Scientes; h. t. Cedit enim hoc casu periculum animæ, seu peccati, in quo fundatur decisio prædicti c. Sepe; quod sine scientia, & mala fide non committitur, Abb. hic n. 12. Debet autem actor probare scientiam, videlicet reum, seu possessorem conscium fuisse spoliationis: quia aliàs regulariter ignorantia facti alieni præsumitur, si non probetur scientia, Reg. jur. 47. in 6. & scientia rei alienæ objecta ab actore, ab eodem probari debet, l. Verius; 21. ff. de probat. Abb. c. l. n. 14. Nec obstat, quod præsumatur scientia, nisi probetur ignorantia; quia quilibet scire debet, quod suum non est, ad alios pertinere, l. ult. C. Unde vi. Nam quamvis ad hoc, ut agi possit interdico, Unde vi, sufficiat simpliciter, scire, rem esse alienam, juxta cit. l. fin. si tamen agatur ex c. Sepe; h. t. non sufficit absolute id scire, sed insuper Reus, seu possessor conventus scire debet vitium rei, sive, rem violenter ablatam, vel occupatam esse; aliòquin ignorantia præsumitur, nisi scientia hæc probetur, saltem ex conjecturis. Anola in cit. c. Sepe; in fine. C. Abb. c. l. Quare ad hoc, ut habeat locum, conditio ex cit. c. Sepe; contra possessorem succedentem in re affecta vitio violentiæ, quamvis sit mediatas possessor, debet per actorem probari, ipsum scienter successisse in re violenter ablata, vel occupata; neque sufficit probare, habuisse possessorem scientiam; quod esset res aliena; tunc enim habet locum remedium, l. fin. C. Unde vi; Mascard. de probat. concl. 1248. n. 33. C. concl. 1321. n. 30. Veruntamen aliquando hoc remedium possessorem etiam competit contra possessorem ignorantem, rem vitiosam, aut occupatam esse, videlicet, si quis vacantem possessionem absentis occupavit, ex qua alius vi dejectus est; nam, cum hoc casu locus sit interdico, Unde vi, juxta cit. l. ult. C. Unde vi; etiam si is verbis Edicti aliàs non comprehendatur; ita etiam huic remedio ex cit. c. Sepe; locus erit, quod ad exemplum Interdicti, Unde vi, Introductum est, Abb. c. l. n. 14. Andr. Valles, in parat. h. t. §. 2. n. 3.

CVII. Notandum tertio. Hoc remedium possessorem etiam competit adversus eum, qui ab initio bonâ fide rem alteri violenter ereptam ignorans accepit, si postea eâ acceptâ, superveniat scientia, quod res vi ablata, vel occupata sit, adeoque mala fides; ut ex probabiliori sententia post Jo. Andr. docet Abb. in cit. c. Sepe; n. 13, h. t. Ratio est, quia parum interest ad peccatum, rem alienam invadere, & injustè detinere, cit. c. Sepe: cum ergo non minus subsit periculum animæ: seu peccati in eo, qui rem alienam scienter, & injustè detinet, quam cum ab initio novit vi ablatam, superveniens scientia perinde, atque ea, quæ ab initio fuit, singulari successori pocebit, sive rem titulo lucrativo: sive oneroso acceperit; sive primus spoliator solvendo sit, sive non; quia in cit. c. Sepe; non tam spectatur à Papa causa acquisitionis, quam modus, id est, scientia accipientis, aut detinentis injustè, sive periculum animæ, seu peccati, Valles, c. l. n. 4. Neque obstat, quod possessio in principio fuerit justa; adeoque per supervenientem scientiam non possit fieri injusta: quia hîc spectari debet initium; ut colligitur ex cit. c. Sepe; ibi: si scienter rem talem (vitiosam) receperit: ergo scientia ab initio solum tempore receptionis rei violenter

erepta requiritur; ut locum habeat hoc remedium possessorem. Sed contra est, quia in hoc c. non tantum ponderatur scientia violentiæ temporis receptionis, sed etiam injusta detentio; ut patet ex verbis subjunctis: eò quod non multum interfu, quoad periculum animæ, detinere, aut invadere alienum, quod procedit etiam, quando scientia ex postfacto supervenit. Quare cum hæc constitutio non sit pœnalis, sed per se valde æqua, & favorabilis, tum, quia agitur de vitando periculo animæ, seu peccato: tum quia in favorem spoliatorum vi oppressorum lata est, ideo amplianda potius est, quam restringenda, Abb. hic n. 13.

Notandum quarto. Recipiens scienter à spoliatore, sive immediatè, sive mediatè, rem vitio violentiæ affectam, non tantum tenetur illam restituere spoliato, sed etiam fructus ex re perceptos, & percipiendos, & omne id, quod erat in fundo, tempore, quo successit in, relicto ad illum nõ pervenerint, Barb. in Collect. in cit. c. Sepe, n. 5. & alij apud ipsum.

CVIII. Alterio 2. Præter allatum, aliud adhuc remedium recuperandæ possessionis competere spoliato affirmant communiter DD. videlicet conditionem ex c. Redintegranda; 3. causi; 3. q. 1. juxta Gl. In casu; ubi Joannes Papa rescribit, quod omnia Episcopis extpoliatis, vel ejectis sint restituenda, in eo loco, unde ablata sunt, quacunque conditione eis fuerint ablata, sive per captivitatem, sive per dolum, sive per violentiam, sive ex quacunque alia injusta causa res Ecclesiæ, vel proprias amiserint, etiam mobiles, ita, ut hoc remedium possessorem detur contra quemlibet possessorem, etiam bonæ fidei, & non vitiosum, sive ignorantem, rem vitio violentiæ affectam esse, cum tamen remedium can. sape requiratur malam fidem possessoris, sive scientiam, rem per vim ablatam, vel occupatam esse, quæ interdum difficulter probari potest; & ita tenet Gl. in cit. c. Sepe; V. Non subvenitur; Innoc. ibid. n. 2. Abb. in c. Cum ad Sedem; 15. n. 26. h. t. Maranta de ord. judic. dis. 7. n. 58. & alij apud Menoch. remed. 15. recuper. possess. num. 5. C. seqq. Idque communiter extendunt; ut non tantum personis Ecclesiasticis competat hoc remedium ad recuperandas res Ecclesiæ, vel suas proprias, sed etiam laicis ad recuperandas res suas profanas; prout videre est apud Menoch. c. l. n. 13.

CIX. Verum tam generale, & pingue Juris Canonici remedium recuperandæ possessionis, quod adversus quemlibet, etiam bonæ fidei possessorem, competat, si res per vim expulsiivam ablata sit, vel occupata, non satis in jure expressum reperitur; ut notavit Laym. de restit. spoliat. th. 37. neque tale remedium satis colligi potest ex cit. c. Redintegranda; cum nihil aliud ibi dicatur, quam, Episcopos ex quacunque causa injustè spoliatos, vel ejectos, ante omnia, integrè restituendos esse; quod extra controversiam est, & omni jure notum. Neque debet generale illud responsum Pontificis in c. Redintegranda; trahi ad illos, qui bonâ fide, & justo titulo res spoliatas acceperunt, cum in istis cesset periculum animæ, & ratio peccati, neque talis successit in vitium spoliatoris, Fachin. l. 8. Controv. c. 12. ideoque cum cit. c. Sepe; sit posterius cit. c. Redintegranda; huius generalitatis per illud restringitur. Zaf. in Comment. h. t. num. 5. Accedit, quod Concilium Lateranense sub

Tonus II.

G g Inno-



Innocentio III. in *cit. c. Sepe*; *h. t.* frustra ita laborasset; ut per novam Constitutionem subveniretur spoliatis contra malæ fidei possessores, qui à spoliatoribus res scienter acceperunt, si per antiquiora jura, videlicet per Can. redintegranda generalius, & plenius; seu uberius remedium adversus quoslibet possessores jam provisum fuisset. Et si alia extaret constitutio, vi cuius etiam bonæ fidei possessores tenerentur rem vi ablatam, vel occupatam restituere, non fuisset opus novâ constitutione, *cit. c. Sepe*; contra malæ fidei possessores, quia isti multò magis tenerentur restituere, si etiam bonæ fidei possessores tenerentur, *Fachin. c. l.*

Illud tamen valde probabile est, & communi DD. calculo receptum, ut, si Ecclesia, minor 25. annis, aut similis persona favorabilis possessionem rei immobilis, aut quasi possessionem juris sui, v. g. pacendi, se amisisse, probaverit, per simplicitatem Juris Canonici, seu ex æquitate Canonica, petere possit, se restitui officio Judicis, dummodo præscriptio, cum bona fide, completa non sit; ut tradit *Abb. in c. 2. Ut lite non contestata* & c. n. 18. Et hoc quidem procedit, etiam si minor natu per culpam, aut negligentiam suam, vel Ecclesia per culpam Rectoris sui, possessionem amiserint, nihilominus enim restitui debent; ut docet *Abb. in cit. c. 2. n. 19. Imol. in cit. c. Sepe; n. 3.*

Arg. c. 3. de in integr. restit. Secus est de aliis privatis personis, quibus non competit restitutio per remedium possessorium, si culpâ, aut factò suo possessionem amiserunt, *Abb. c. l. n. 19. Menoch. cit. remed. 15. n. 91. Laym. cit. thes. 37.*

CX. Ceterùm illud hoc loco addendum, quòd, si quis non per vim expulsiivam, sed per vim compulsivam, sive metum injustum coactus sit ad possessionem alteri tradendam, is non potest quidem agere interdictò, *Vnde vi*, contra eum, qui metum incussit; talis enim, cum absolutè consensum præbeat, quamvis mixtum involuntario, non censetur propriè spoliatus, sed suâ potius voluntate dejectus; ideoque non habet hoc privilegium juris, ut ante omnia restitui debeat, sicut spoliatus per vim expulsiivam; ut constat ex *l. Si verum*; & *ff. De vi*; & *ibi Gl. V. Inlocum; Menoch. remed. 1. recap. possess. n. 102.* Nihilominus tamen metum injustum passus intentare potest actionem; quod *metus causâ*, quæ est personalis in rem scripta, adversus quemlibet etiam bonæ fidei possessorem, seu ad quem ex re per metum injustum extortâ commodum aliquod pervenit; quia res veluti vitio affecta ad quemcunque possessorem transit, ideoque restitutioni est obnoxia ad quemcunque pervenerit, *l. Item, si cum exceptione; 14. §. In hac actione; & §. Aliquando; in fine. ff. quod met. causâ & c.*

T I T V L V S XIV.

DE DOLO, ET CONTUMACIA.

I.

UTA interdum accidit, ut spoliatus, seu possessione suâ per vim injustam dejectus, ob dolum, vel contumaciam adversarij, restitutionem rei consequi non possit, ideo hic Titulus præcedenti subjungitur, qui etiam extat in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus communibus. Porrò, quòd ad priorem partem Rubricæ huius Tituli attinet, sciendum est, quòd duplex est dolus, bonus, & malus. Dolus bonus dicitur solertia, quâ quis machinatur aliquid adversus hostes, vel latrones, præsertim publicos; ut fraudes, vel injurias eorum excludat, *l. 1. §. Non fuit; ff. de dolo; c. Dominus; 2. caus. 23. q. 2.* ubi dicitur, cum quis justum bellum susceperit, utrùm apertâ pugnâ, an insidiis vincat, nihil ad justitiam interest, juxta illud vulgatum: *dolus, an virtus, quis in hoste requirat?* qui dolus jure non est prohibitus, sed dolus malus tantùm. Et hic à Jurisconsulto in *cit. l. 1. §. 2.* ita describitur: Dolus malus est omnis calliditas, fallacia, vel machinatio ad circumveniendum, fallendum, vel decipiendum alterum adhibita. Calliditas committitur, tacendo, vel dissimulando; fallacia decipiendo mendacijs; machinatio per occultas insidias; ut fusè persequitur *Hostiens. in summa h. t. §. Quid sit dolus.* Quamvis autem in hoc Titulo non agatur de omni dolo, sed de eo solùm, qui est adjunctus contumaciæ: quia cessante dolo, vel culpâ, nemo potest dici contumax, *l. Contumacia; §. 3. ff. de re judic.* plures tamen Canonistæ generaliter hoc loco de dolo

agunt, de quo etiam nos quædam magis necessariè adferemus.

S E C T I O I.

DE DOLO.

§. I.

Quando exceptio doli detur ad rescindendum contractum dolo initum?

II. Præmittendum primò, Dolus, vel error (qui, si naturaliter contingat, vocatur error, seu ignorantia: si verò ex alterius malitia proveniat, vocatur dolus) versatur vel circa substantiam rei, vel circa qualitatem, seu accidentia extrinseca rei. Priore casu, contractus est ipso jure irritus: quia deest substantialis consensus; ut, si quis emat vitrum pro gemma, aurichalcum pro auro: nam tum non consentit in illam rem, sed in aliam; errantis autem nullus est consensus, *l. 9. C. de jur. & facti ignor. & sine consensu nullus subsistit contractus, qui à libera voluntate pendet, Less. l. 2. de justit. c. 17. num. 27. Laym. l. 3. Theol. mor. tract. 4. c. 5. num. 1. & alij DD. communiter.*

Præmittendum secundò, Si dolus versetur circa qualitatem, seu accidentalem circumstantiam rei, tunc adhuc dupliciter potest committi in contractu, vel alio actu. Primò, ut dolus det causam contractui, vel